DISPVTATIONES DVAE POLITICAE DE CONVERSATIONE CIVILI PRIVATA ET PVBLICA

QVAS

Deo benè volente

PERMISSV SVPERIORVM

PRAESIDE

M. THOMA SAGITTARIO

STENDAL. IVN.

PVBLICE

Discutiendas proponit

MATTHIAS BILIZE

NEOSTAD. SIL.

Priorem ad 3 Posteriorem ad 10. Ma

horis & loco consuetis.

IENAE

TYPIS TOBIAE STEINMANNI, Anno 1600.

ILLVSTRIBVS, MAGNIFICIS
AC
GENEROSISSIMIS
DOMINIS

Dn. Georgio ab Oppersdorff

Libero Baroni in Aich & Fridstain, Domino hæreditario superioris Glogoviæ & in Polnisch Neukirch &c, Sacræ Cæsar. Maiestatis Consiliario & Vtriusq; Ducatus Oppoliensis & Ratiboriensis in Silesia Orientali supremo Præfecto &c.

ET

Dn. Iohanni Christophoro

Proskovvsky, Libero Baroni in Proskau, Zultz & Chrzelitz &c, Eiusdem Cæsar. Maiest. Cubiculario intimo &c.

Dominis ac Mecœnatibus suis benignissimis & honorandissimis.

Hoc

Academicæ συζητήσεως symbolum

MONVMENTVM

Devotæ gratitudinis & observantiæ

D.D.D.

Respondens.

AD

ILLVSTRES BARONES MECAENATES MEOS,

Ἐπίγραμμα.

ALloquar? an sileam? Patriæ duo SIDERA terræ,
Stirpis BARONES inclytæ.
Indulgete, precor, faciles in carmina vultus
Vestris parata laudibus.
Nec prohibete meis titulos intexere vestros,
Instat Pyropi versibus.
Scilicet vt rutili pallentia sidera cœli
Solis coruscant lampade
Sic humiles Musæ, Musarumque æmula proles
Splendore vestro purpurant.
Quid proavos memorem, generis cunabula vestri?
Quid digna cedro stemmata?
Regia SEMIDEI Magnatibus AVLA RVDOLPHI
Vos interis potentibus.
PATRIA, PRINCIPIBVS quondam domus inclyta, vestro
Subnixa stat caduceo.
Dumque æquum ex pœna & veniæ ratione tenetis,
Iustaque lance penditis.
Auspicio surgens vestro se gloria tollit
ILLVSTRIVM DVCATVVM
Hinc vos NEVSTADIVM, pars non extrema Ducatus
OPPOLI[illegible] prædicat.
Ac pro tot meritis inoblita mente salutis
Suæ fatetur VINDICES.
Non ego iam charo repetam benefacta Parenti,
Nostræque stirpi præstita.
Nempe quòd innumeros hostes secur[illegible] triumphat,
Vestrâ peractum est ægide.

Hæc vivax genius ſeros celebrabit in annos,
Virtusque labi non ſinet.
Quid moror? Huc veſtrum Muſæ nunc promite munus,
Flexoque dicite poplite,
Edita ſub veſtro quæ fulgent nomine, vobis
En! exhibemus Lemmata.
Lemmata civilem rectè formantia vitam,
Medio premendam tramite.
Accipite, ô PROCERES, donum, donoque fauorem
Veſtro parate calculo.
Exiguum ſanè: ſed dantis mente loco que,
Non æſtimandum pondere.
Haud omnes SVPERIS libant precioſa, ſed illos
Et parva placant munera:
Diximus. At noſtri ſervet vos ARBITER ævi,
Fatisque mactet proſperis.
Pro meritis æquant, præſens quos parturit ætas
Laudem integrabunt POSTERI.

Matth. Bilizerus
Matth. Fil. Sil.

Θέσις I.

De civili conversatione si quis agat, modosque, tanquam canones, observandos præscribat, næ ille, ita nos benè amet Heliconis aura, opus molitur, cuius ostentatio nulla, necessitas tamen summa, ut & utilitas longè maxima.

2. Ostentatio nulla. Fit n. ut plerumque negligamus & despectui habeamus illa, quæ vel maximè scire nos oportebat, atque adeò tandem, ut in ipsis etiam silvis, quas quotidie pervolitamus, si non προαιρέτως, at certè μὴ ἀκουσίως instar Actæonis in Dianam & vitium incidamus, & tandem à nostrismet ipsis canibus dilaniemur.

3. Quin & plerumque quæ alienis, quam

Ædibus in propriis quæ recta aut prava gerantur.

inquirimus, non secus ac Lamia, quæ domi oculos in scrinio habet reconditos, foras v. progressura eosdem inserit, & omnia sedulò perspicit. Plutarch. (a).

4. Necessitas summa. ἄνθρωπος γὰρ φύσει ζῷον πολιτικόν. Arist. (b) Quo nomine homo derivatur ab ὁμῶς. Scaligero (c) ita quidem, ut hominum conversationem si deneges nemo ne in ipsis quidem campis Elysiis vivere facile sibi præoptet. Breviter. ἢ θεὸς ἢ θηρίον μὴ δυνάμενος κοινωνεῖν Arist. (d) Et rectissimè magnus ille Poeta (e).

Est homo consortes ad vitæ conditus usus,
Vt possit pietas officiumq; coli.

5. Sive ergò dives sit sive pauper, conversatione hac non magis carere poterit, quam aqua & igni; quam sole & sale. Vtrobiq; n. quàm maximè necessaria.

6. Divitibus quidem tum πρὸς χρῆσιν, tum πρὸς

(a) lib. de Curiosit.
(b) 1. Poli. c. 2. 7 Eud. c. 1.
(c) lib. 4. Poet. c. 1.
(d) 1. Poli. c. 2.
(e) Iob. Maior. D.

φυλακήν. Illic: Quia nullus usus τοιαύτης ευετηρίας, ἀφαιρεθείσης ευεργετίας. Quia & de causa & ipsum ευδαίμονα amicis indigere, quit iis cum converletur non inscitè colligit Philos.(f) Hic v. πῶς ἂν τηρηθείη καὶ σώζοιτο ἄνευ φίλων. Arist.(g) Quo n. altius Ocean: sese commisit navis, tantò maius imminet undiq; periculum, tantò iniquiorem habet Aeolum, & ---*Celsæ graviore casu*

Decidunt turres, feriuntq; summos

Fulmina montes (h)

(f) Arist. 9 Eth. c 9. Picco. gr. 7

(g) 8. Eth. c. 1.

(h) Horat. lib. 3. Carm. Oda 10.

7. Pauperibus v. καταφυγὴ unica & asylum amici, & omninò necessarij tum ad vitam tum ad actiones. Illic: Suo n. succo diu vivere non possunt, si ros non cadat.

Et cui flammis opus est sopitas suscitat aras.

Hic v. Quia ἀδύνατον ἢ οὐ ῥάδιον τὰ καλὰ πράττειν ἀχορήγητον ὄντα. Arist. (i) Et multi possent volitare per ora virorum

Hos nisi paupertas invida deprimeret.

(i) 1. Eth. c. 8.

8. Vtilitas maxima. Si quid enim est quod hominem facit verum & γνήσιον hominem, qualem sua candela medio in meridie quærebat Diogenes, vel hæc sola facit, vel maximè.

9. Hinc n. σύνεσις πολιτικὴ, & ipsa δύναμις ... comparatur, augetur, fovetur. At quid sine his homo homini ...

Nempe id quod Veneri donatæ à virgine puppæ.

10. Σύνεσις πολιτικὴ tum Mores & gestus, tum Iudicium & doctrinam continet.

11. Mores: Qui n. morum elegantiam addisces tandem & tibi comparabis, si semper fornaci assideas tuæ, & tanquam claudus sutor domi delitescas, aut seu cochlea cornua tua nunquam extra testam exeras?

12. Doctrina: Hominem n. acuit homo. Σύν τε δύ' ἐρχομένω. Arist.(k) Et sermo, cuius usus tantum in conversatione, est quasi Portitor quidam animi, cuius communicatione civiles conventus indicuntur, artes coluntur, sapientiæ

(k) 8. Eth. c. 1.

pientiæ necessitudines homini cum hominibus intercedunt. Scalig. (l).

13. At Prudentiam admiramur omnes. Media ergò & remedia quæramus, quibus eandem consequamur. Sunt hæc lectio, auditio, usus. Quæ duo posteriora magis, & maximè usus. (m) At quæ auditio, quis usus tandem futurus, si homines fugias omnes, & in Eremitarum latibulis te recondas? Homines sumus, colamus humanitatem.

14. Quinimò nulla re melius ipsa κενοδοξία, φιλαυτία & δοκησισοφία corrigitur & emendatur quam conversatione Domi si delitescunt adolescentes, quos non hîc, quos non concipere possunt sibi montes aureos?

Et se mihi comparat Aiax? (n)

Ibo animis contra vel magnum præstet Achillem (o).

At foras si progrediantur, & in quendam incidant, qui in doctrinam & mores nonnihil inquirat diligentius, statim plumæ illæ ascititiæ decident, & leo qui antea sibi videbatur auriculas asini ostendet. Scilicet

Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus (p).

15. Sic iam ergò cognita sua tandem inscitia vel imbecillitate modestius de se impolterum sentire discent, & qui in suo palatio Alexandreo dictatores esse se somniabant, peccatores miseros se esse experientur, qui Platones, blaterones se esse cognoscent. Quod demum verum est initium sapientiæ. Morbum n. qui nescit, quomodo remedia inquiret? [illegible]

16. Δύναμις v. ἑρμηνευτικὴ quantum hinc alatur dici non potest. Oratio duplex: una quotidiana, quæ est animi interpres & color quasi quidam morum; altera elaborata & picta eloquentiæ germen. Scalig. (q) Vtraque conversatione indiget.

17. Illa quidem: Quia sermo non τῇ φύσει est, sed κατὰ συνθήκην, & ex hominum instituto. Aristot. (r) Si iam ergò cum hominibus non converseris quid tandem loqueris, qui intelligeris? Hæc verò: Quia si nihil aliud, certe sine actione & legitima pronuntiatione manca est,

(l) lib. 1. Poet. c. 1. & Exercit. 256.

(m) Arist. 10. Eth. c. ult. I. Lips. lib. 1. Polit. c. 8.

(n) Ovid. 13. Met.

(o) Virgil. 11. Aneid.

(p) Horat. de art. Poet.

(q) lib. 3. Poet. c 24.

(r) lib. περὶ ἑρμην. c. 2.

(s) 3. de Orat.

est, imò nulla. Cic. (s) At hanc unde disces nisi cum hominibus converseris, te ad Demosthenis vel Ciceronis cuiusdam vocem vivam componas, gestum imiteris, ταχυγλωττίαν modereris, σκυθρωπίαν averseris.

18. De conversatione ergò civili nos hanc instituemus ἐξέτασιν, & modos quosdã & præcepta adumbrabimus κατὰ τὴν ὑποκειμένην ὕλην, καὶ ἐπὶ τοσοῦτον ἐφ' ὅσον οἰκεῖον τῇ μεθόδῳ, quod fieri iubet Philosophus. (t) Quæ ipsa si bonum solum nanciscentur facilè se explicabunt, & radices agent amplissimas. Δόξειε ἂν παντὸς εἶναι προαγαγεῖν καὶ διαρθρῶσαι τὰ καλῶς ἔχοντα τῇ περιγραφῇ. Idem (u).

(t) 1. Eth. c. 7.

(u) d. l. & cap.

19. Ad rem ergo. Sed prius navem fluctuantem sistamus anchoris. Anchorarum omnium firmissima definitio. Scalig. (x) Civilis ergò conversatio nobis est, quam in hominum societate mixti degimus ad usum mutuum.

(x) Exerc. 301. Sect. 1.

20. In hominum Societate. Non enim qui ὁμιλητικὸς esse cupit & verè πολιτικὸς, homines, instar Timonis μισανθρώπου, fugere debet & aversari, sed cum iisdem conversari, sive boni sint sive mali: cum illis tamen sæpius & charius: cum his serius & rarius.

21. MIXTI. Quam enim colemus cum illis societatem & conversationem, qui neque visi unquam neque cogniti? Quomodo hîc ἐνεργεῖν φιλικῶς καὶ συνεῖναι quis poterit, ubi alter ad sitientes eat Afros, alter Scythiam, & rapidum Cretæ Oaxen

Et penitus toto divisos orbe Britannos.

22. Δεῖ, inquit Arist. (y) εὐνοεῖν ἀλλήλοις καὶ βούλεσθαι τ' ἀγαθὰ μὴ λανθάνοντας. Et nos hîc conversationem intelligimus illam, quæ fit inter præsentes. Amicitia tamen potest & esse inter illos, qui sunt κεχωρισμένοι τοῖς τόποις· οἱ γὰρ τόποι οὐ διαλύουσι τὴν φιλίαν ἁπλῶς, ἀλλὰ τὴν ἐνέργειαν. Arist. (z) Conversationis alia ratio.

(y) 8. Eth. c. 2.

(z) 8. Eth. c. 5.

23. Ad usum mutuum. Omnis enim societas est boni

alicuius

alicuius gratia. Arist. (a) Et quia non uni dat cuncta Deus, id circo societas coli cœpit, ut quæ desunt nobis ab aliis peteremus, & quæ habemus ad ea communicanda declararetur animi nostri significatio. Sic nempe:

Cæcus fert claudum, regit hic vestigia cæci.

24. Estque nobis duplex: *Privata & Publica.* In utraque viam quandam quasi astris σὺν θεῷ καὶ μούσαις hac in διατριβῇ signabimus.

I. Privata.

25. *Privata est, quam privatim colimus.* Quæ ipsa etsi intra privatos est parietes, non tamen idcirco neque hîc, neque publicè, omnium rerum κοινωνίαν introducit, ut statuisse videtur Plato (b) secus tamen. Arist. (c) & nostrates (d) Natura ipsa certos præfixit & præscripsit limites, intra quos, quod proprium est cuiuslibet, delitescit.

26. Est v. hæc, ut συντόμως procedamus vel *Inæqualium vel Æqualium.*

27. *Inæqualium: Sicq; est Imperantis cum obediente: vel obedientis cum Imperante.*

Et quidem Inæqualium

Imperantis cum Obediente.

28. *Imperantis.* Estque Mariti vel Vxoris. Maritus imperat vel πολιτικῶς vel δεσποτικῶς. Πολιτικῶς coniugi & Liberis. Δεσποτικῶς Servis.

29. Eodem modo & uxor πολιτικῶς Liberis; Δεσποτικῶς Servis. Singula videamus.

I. Mariti cum coniuge.

30. Cælibatus sua habet commoda, habet & incommoda. At habet & utrumque coniugium. Quicquid tamen sit, coniugium præferendum, etiam à viro docto.

31. Nec enim ipse magis fit Lapitha Stoicus quam alij. Sæpe & saucius

Vulnus alit venis, & cæco carpitur igni

ut de suis hoc nobis largiatur Poeta (e) Et ipse Apollo

(a) 1. Polit. c. 1.
(b) in lib. de Rep.
(c) 2. Polit. c. 1 & seq.
(d) Bodin. lib. 1. Pol. c. 2. &c.
(e) Virg. 4. Æneid.

qu[illegible]dam Daphnes amore detinebatur. (f) Quod [illegible] melius quis esse dixerit in rota illa amatoria Plautina (g) volutari, quam amorem colere & sedatû Cupidinem, [illegible] adhærere coniugi, ibidemque pietatem exercere, næ ille quovis Epicuro vel Sardanapalo est nequior. Si alijs medicinam concedimus cur non & illi?

32. Sic iam ergò coniugem & sociam qui non habet, nisi quid obstat, legitimo tempore, legitimo modo eligat & seligat, qui habet cum ea, ut decet, converletur.

33. *Eligat & Seligat.* Nec n. quicquam potest vel esse stolidius vel dementius, quam nulla habita prius deliberatione, nullo iudicio adhibito ad quamvis impetu plane Cyclopico proruere, & quam prius affectus tibi objiciebant, arripere statim & accipere.

34. Profectò si ullibi vel hic maximè, ὥσπερ τὸν παῖδα δεῖ κατὰ τὸ πρόσταγμα τοῦ παιδαγωγοῦ ζῆν, οὕτω [illegible] ἐπιθυμητικὸν κατὰ τὸν λόγον. Arist. (h)

35. Non ergò oculis tantum sed & auribus tibi ducas uxorem, & aliorum etiam de illa, quam cupis, antequam capias, iudicia ut & famam consule. Rarò n. in totum fama vana, quam multi iique vicini spargunt. Arist. (i) Diu deliberandum, quod statuendum est semel. Nec n. si semel accepisti, venum postmodum eandem exponere poteris, & cum alia commutare. Sed hic

Habeas tecum, servesq; sepulchro.

Brevis cantiuncula; Tu sis mea, ego tuus, sed longum habet epiphonema.

36. Et quidem ducas, quoad fieri potest, parem.

Si vis nubere, nube pari.

Paribus n. cum paribus optime convenit, & graculus graculo libentius assidet. Arist. (k) Et ubi

Miriua iunguntur corpora viris,

an verius sit tumulus quam thalamus, luctus quam lectus dubitamus.

37. Et quidem virtutem, imprimis Pietatem respicias.

Blandus amor nihil est & [illegible] gratia forma:
[illegible] Hæc mulier bella est, quæ scit amare Deum.

38. Vir

(f) Ovid. 1. Metam.
(g) Plaut. in Cistel. act. 2.
(h) 3. Eth. c. 12.
(i) Arist. 7. Eth. c. 13
(k) lib. 2. M. Mor. c. 11. 7. Eud. c. 1.

38. Virtus manet inconcussa, externa bona levissimo etiam flante vento corrumpuntur, concidunt, evanescunt.

Nimium ne crede colori,

Alba ligustra cadunt, vaccinia nigra leguntur.

Et semper amicitia tutior & stabilior quam hospes ille, animum puto, conciliavit, quam illa, quam hospitium & pulcritudo corporis imò quam & illa, quam cæcus ille Plutus. Claudus est adveniens, alatus discedens, extrà obductus persona amabili, inaurata, gemmisq; picturata, intus sterquilinium latitat & venenum (l) ἑνὶ λόγῳ.

Dummodo morata rectè veniat, dotata est satis. (m)

Et; *Insunt meliora talentis.*

39. Si ejam electam & selectam diligat. Efficatior n. vox diligere. Quia includit & iudicium eligentis, & actionem seiungentis electam rem ab alijs. Scalig. (n)

40. *Cum dilecta* ut decet *converseiur.* Conversabitur a. ut decet si omnia præstet charitatis coniugalis officia.

41. Illa v. charitatis officia imprimis consistunt in *Fovendo & ferendo.*

42. *In fovendo.* Amor n. ille si desit, proh miser quanta laboras in charybdi: Satius esset relicta ista infesta & infausta domo quovis terrarum fugere, ubi nec Pelopidarum facta, neque nomen audias. Fellis hic habebis plurimum, mellis parum. Et fidem faciet Poetæ: (o)

Semper habet lites, alternaq; iurgia lectus,

In quo nupta iacet, minimum dormitur in illo.

43. Si ergò felix vis tibi connubium amore illud tempera tibi & attempera mutuo. Amor hic partes quondam à Iove dissectas (ut bellè fabulatur Plato (p) & Arist. (q)) coalescere faciet & quicquid tandem in coniugio occurrit amaroris tollet, vel certe leniet. Hunc v. vel maximè adesse præsentilscet illa, si præstet sequentia.

44. *I. Sit humana.* Caput est & moderator coniugis suæ maritus, Membrum illa & socia, non lex aut serva. Ut sociam ergò ut corculum potius amplectatur, quam ut illa tanquam Delphico gladio ad quævis etiam opera & [illegible] abutatur.

(l) Lucian. in Dialog.

(m) Plaut. in Aulul. act. 2.

(n) Exerc. 317. Sect. 3.

(o) Iuvenal. Sat. 6.

(p) In Sympos.

(q) 2. Polit. c. 2.

45. Vnio

45. Vnio mihi videtur esse coniunx. Hic si morsus & aciem veteris Lyæi sentiat, in cineres fatiscit: sic coniugem hanc tuam, nisi cum moderamine & φρονικῶς καὶ φιλικῶς tractes.

Mutuus aret amor, mens solvitur [illegible], fatiscit
Vna fides, anus fiet amarus amor.

46. II. SIT *Patiens*. Non est vita hæc nostra Paradysus amplius, nec cum angelis meris degitur, sed cum hominibus, qui facile labi, errare, decipi possunt & hallucinari. Hic iam ergò statim si vel ob tantillum etiam peccatiolum nescio quos crepitus & strepitus velis movere, cum recta ratione insanies. Fert illa te, cur non tu illam? Es tu, ut opinor, non omni ex parte ές τετράγωνος, ἀναμάρτητος, καὶ ἀνέγκλητος, ipse es homo, à quo nihil humani alienum.

47. Neque parum referet considerare, an τύχῃ vel ἀγνοίᾳ, [illegible] ἑκοῦσα, an vero προαιρετικῶς & ἑκουσίως sit peccatum. Illic συγγνώμη potius & commiseratio convenit, quàm pœna & indignatio Arist.(r).

(r) 3. Eth. c. 1. 2. & 3.

48. Qua in re frequenter videas peccare illos, qui vel paululum offendantur, cum Achille volutantur in luto, cum Augusto capita parietibus illidunt, cum Lycambe ad restim refugiunt, & si vel incauta mulierculæ verbulum unicum incogitanter sæpe excidat nescio quas Tragœdias cient & turbas excitant. Hic continuò mali [illegible]

Astat severa fronte, curas cogitans
Pectus digitis pultat, cor credo evocaturus foras.
Ecce autem advertit nixus læva, in femore habet manum,
Dextera digitis rationem computat, feriens femur
Dexterum, ita vehementer [illegible] quid facto opus est, ægre suppetit
Concrepuit digitis, laborat, crebro commutat status (s).

(s) Plaut in Milit glorios. Act. 1.

49. Imò à verbis sæpe ad verbera progrediuntur [illegible] miseris tractant modis, ac si cum asinis & scorpionibus res esset. Inhumanè. Habebat & Iuppiter [illegible]

nem rixantem & tumultuantem, castigabat verbis, leniebat obsequiis, à verberibus abstinebat. (t)

Omnia prius experiri, quam armis, sapientem decet (u).

50. Et quæ, malum, est dementia. Domi ferimus gallinas glocientes cum ova pariant; columbas murmurantes cum fœtus excludāt; canes sæpe oblaterantes cum domum custodiant, & mulieres paululum obstrepentes suferre nolumus cum σύλλογε οἴκων proferant, &

Pulchrâ faciant nos prole parentes.

51. Si ergò malam habes & infirmam imitare Socratem, qui suam Xantippen & tonantem & pluentem ferebat, & obsequiis quantum potes & decet, mitiga potius quam iurgiis incita. Multa sunt ingenia quæ si tractes molliter, mitescunt; si duriter inflammescunt & intumescunt. Benè Varro attestante Gellio, (x) vitium, inquit, uxoris aut tollendum, aut ferendum est; Qui tollit vitium uxorem commodiorem præstat; Qui v. fert, sese meliorem facit.

52. Interim tamen dum [illegible] commendamus & lenitatē, non γυναικοκρατίαν & imperium muliebre introducimus. Tu Rex sis, illa Regina, domui imperet non viri.

53. Quanquam nescio quo fato fiat, ut viri etiam doctissimi & celeberrimi plerumque sint γυναικοκρατούμενοι, & [illegible] Omphalæ aut Deianiræ submittant.

54. Causa fortasse hæc: Quia illi viri vel dum libris suis immorientes, & Platonica quadam νεκρώσει abrepti, nihil quam Musas cogitant, & Apollinem somniant: vel dum varijs distinentur & distringuntur negotiis, fit ut omnibus rebus domesticis præesse, aut saltem interesse non possint, interim mulieres vitæ liberioris campum nactæ, eidem assuescunt, & non vocatæ nec constitutæ sibi arripiunt dictaturam & imperium, à quo cum postmodum ægrè queant deturbari, nolint velint mariti dorsum [illegible] suis submittere coguntur.

(t) Hom. Iliad. 1.

(u) Terent. in Eun. act. 4. Sc. 7.

(x) l. Noct. Att. c. 17.

55. III *Non sit nimium Zelotypus.* Nec n. continuò in coniugium coniectæ omnes affectus exuunt, & in castra monacharum aut Stoicæ sectæ abeunt, sed adhuc homines sunt, adeoque & humanæ, quibus & iocari, ridere, gaudere volupe est, imprimis iuvenculis, quas & convenit affines esse illarum rerum, quas fert adolescentia.

56. Malè ergo illi qui suas coniuges ab hominum consortio omni arcent longè & propellunt; & non secus ac pater Acrisius suam Danaen.

quam turris ahenea,
Robustaq; fores, & vigilum canum
Excubiæ muniebant, (y)

(y) Horat. lib. 3. Od. 16.

observant. Si quis amicorum adveniat, continuò illæ vel latebras quærunt & latibula: vel instar Didonis apud Inferos (z) solo fixos oculos tenent aversæ,

(z) Virg. 6 Æneid.

Nec magis incepto vultum sermone moventur,
Quam si dura silex, aut stet Marpesia cautes.

57. Quæ suspitio in coniugio Ilias malorum semper fuit habita. Fieri n. non poterit ut eandem vereamer, quã tibi fidam esse non credis. Imò operam ludis omnem & oleum, Si impudicam habes, etiamsi Argum apponas, aut Athlantem custodẽ constituas, Ino tamen erumpet, aureq; mala vel invito etiam eripientur, & Danae si non ab aſio, à Ioue tamen in aurum converso & per tegulã decidente eludetur. Si honestã? opus nullo est timore, & labore, Per se n. honestati studebit. Cur ergò hostes tibi fingis, ubi nulli sunt, & teipsum excrucias & tuam sine causa?

58. Quanquam hoc vitium rarò cadit in bonos, sed in pessimos quosque, & qui ipsimet in vitiis & delitiis fe- ctati fidem quam debebant non præstiterunt. Nam verissimum illud Ovid. (a)

(a) 1. Amo. Eleg. 4.

Multa miser timeo, quia feci multa protervè,
Exemplia; metu torqueor ipse mei.

59. IV. *Fidem præstet coniugalem:* Nihil n. castis nuptiis funestius potest accipere, quam si maritus sua non contentus ad quasvis etiam Thaides devolvatur, cumq; his consuescat. Hic amore colligata pectora divelluntur & dirumpuntur. Quo facto amplius

Non

Non pronuba Iuno

Non Hymenaeus adest, illi non gratia lecto.

Nec mirû omnino, quod Agamemnon suæ Clitemnestræ manus violentas, Hercules Deianiræ δῶρον ἄδωρον fuere experti.

60. *In Fovendo.* Sunt duo in carne una. At quis unquã carnem suam odisse potuit, sed fovet eandem & protegit.

61. Sic iam ergò & maritus coniugi suæ debet officium & *Protectionis & sustentationis.*

62. *Protectionis.* Caput n. est ille, hæc membrû. At in ipso corpore nostro languente aliquo mẽbro grata συμπαθείᾳ condolet cerebrum. Imò graviter ferimus si nostris servis, vel etiã iumentis quiddam damni accidat, cur non & hic pro focis nostris depugnabimus, pro costa nostra dimicabimus? Profectò. *Non turpe marito*

Aspera pro charo bella tulisse thoro. (b)

Iniuria n. facta uxori, & ipsi marito facta censetur, ut inquiunt ICti.

63. *Sustentationis.* An n. felix sit coniugium futurum, ubi mulieris quadra cogitur vivere maritus, & alienum panem edere non parum dubitamus. Experientia quotidiana hanc litem dirimet.

II. Parentum cum liberis.

64. Maritus & uxor ratione suorum liberorû parentes optimo iure vocãtur: conversationẽ ergò mariti & uxoris cû liberis hic coniungemus, cû in plerisq; ferè conveniãt.

65. Parentes v. in suã cum liberis conversatione respiciant imprimis duo τροφὴν καὶ παιδείαν. Arist. (c) *Sustentationem & institutionem*

66. *Sustentationem.* Infantulî n. illi non ut pisces statim hinc inde natantes sibi victum quærere possunt & comparare, sed lacte primum nutriendi, postmodum etiã rebus aliis necessariis instruendi, ne & hic à brutis forte vincamur. Nam & palumbes, quæ hyeme nidificat sua incubando fovet ova, &

Mollius ut iaceant pulli, sibi vellicat alas

Queis nuda hyberno deficit ipsa gelu (d).

67. Quo

(b) Ovid. 8. Epist. Arist. 1. Oecom. c. 8

(c) 8. Eth. c. 11.

(d) Alciat Embl. lib. Emb. 193

67. Quo in loco omnino improbamus illas matres, quæ cum ſuo lacte in utero infantes lactarint, poſtmodum excluſos, ubi vel maximè materna ope indigent aliò ablegant, & meretriculis ſæpe & inhoneſtis mulierculis alendos tradunt, quod tamen tum ipſis matribus incommodùm, tum Liberis.

68. *Matribus.* Quia delitiis illis, quæ ex infantulorum lactatione capiunt aliàs matres, omninò carent. Quid n. blæſa locutione, ſuavi riſu, oſculis ipſorum blandidulis poteſt vel eſſe gratius vel iucundius? ut non iniuria miratus ſit I. Cæſar divitum Romanorum ſtultitiam, qui catulos & ſimias in ſinu circumferebant, & quæſierit, numquid eorum coniuges liberos parerent? exiſtimans, ſtultum eſſe alibi quærere in brutis delicias, cum tua pignora, imò ipſe teipſum (vivunt enim parentes ſub liberis, & numero cum non poſsint, ſpecie ſuperſunt. Ariſt. (e) & Scalig. (f)) habeas.

69. Et ἡ συντροφία ὥσπερ ἐπιτόνιον ἐστι τῆς εὐνοίας. Plutar. (g) Hac ergò intermiſſa amor & obſequium paulatim refrigeſcit, & planè collabitur. Imò non raro etiam in diſcrimen vitæ propter id veniunt, dum lac in mammis turgentibus incaleſcens, & planè putreſcens ipſum vitæ fontem propter vicinitatem impetens, noxam toti corpori infert non exiguam.

70. *Liberis v.* Quia longè negligentius à nutricibus, quam matribus aliàs nutriuntur. Quia illæ εὔνοιαν ὑποβολιμαίαν habent καὶ παρέγγραπτον: At hæ ἔνδοθεν καὶ ἐξ ὀνύχων ἁπαλῶν diligunt, aut certè ex naturæ præſcripto diligere debent.

71. Et ab impudicis iſtis mulierculis impudicos mores cum ipſo lacte imbibunt, quos in tota vitâ ſua vix ac ne vix quidem eluere poſſunt & dediſcere. Vix n. dici poteſt quantum conferat ad ingenij & morum ſimilitudinem lactis alimonia. Patrit. (h) ut non immeritò exprobrans Dido (i) immanitatem Æneæ, ipſi objiciat.

(e) 2. de Anim. c. 4. t. 34.
(f) Exer. 188. Sect. 1.
(g) Plutar. lib. de Edu puer.
(h) lib. 4. Polit. 6.
(i) lib. 4. Æneid.

Hir-

Hircanæq; admorunt ubera tygres.

72. Sed amorem parentum erga liberos ut commendamus, ita eundem si nimius sit damnamus, si nullus deflemus.

- Moderata durant longius.

73. Nimius amor vel nævos etiam laudat, & ranam Dianam esse putat. Vnde fit postmodum, ut cum nihil in ijs reprehendatur, neque culpetur, sensim illi assuescant pravis, & omnem ingenij vim & bonitatem hebescere sinant & inarescere.

74. Nullus v. si adsit, non animus paternus regnat, sed tyrannicus ubi sæpe nescio qua ἀκρισία ita cum liberis agitur malè ut condolendum sit. Olim ius vitæ & necis suos in liberos habebant parentes. Verum illa inhumana potestas, ut quæ non in pietate, sed in atrocitate consistit per Impp. & ICtos abolita est, & ad mitiorem humanitatem traducta quàm optime. Quicquid tandem & hîc contra opponat Bodinus. (k)

(k) lib. 1. Polit. c. 4.

75. Modica ergo & hodie est concessa filij castigatio, ita quidem ut & immorigerum in carcerem conijcere, & iudici castigandum tradere possit ex LL. ipsarum præscripto, sed illa beluina omnino sævitia an paterno conveniant affectui discant ex illis, qui vere patres esse sciunt. *Præcipitata nocet vindicta.*

76. *Institutionem:* Quæ ipsa tantopere est necessaria ut inanes omnes sint futuræ LL. nisi in urbe Iuvenes rectè instituantur, ut bene monet Plato (l) & Piccolom. (m) Est n. hæc sola, qua universæ Reip. beatitudo tanquam Atlante quodam fulciente nititur. Arist. (n)

(l) 4. 5. & 6. de LL.
(m) in Eth. gr. 10. c. 30.
(n) 8. Poli. c. 1.

78. Parentes ergò liberos optimè instituant, & ad quid imprimis sint idonei & εὐκαταφερεῖ, perspiciant probè & eliciant. Invita enim natura ægrè volare addiscent, sed potius cum Struthiocamelo Æsopico de rupe se deijciente terræ inflicti crura frangent, & illa, quæ habent, amittent.

79. Filiam si quæ contigit, ad operas muliebres instrue,

C ad

ad virtutes hoc sexu condignas adhibe, & imprimis vide ne temerè quibuslibet in plateis velutSyrus alter aut Dromo circumcursitet, sciscitura quid nuperrimis in comitiis egerint principes, quid apud Æthiopes in convivio ederit aut biberit Iuppiter, aut quid cum Iunone noctu fuerit confabulatus. Sed

Clausa tibi virgo thalamis servetur honestis.

Nam.

Forma puellarum servata parentibus ægrè est.

Et nostrum hoc seculum suos habet Parmenones, qui pro Eunucho Chæream vendent & obtrudent, nisi caveas.

80. Si v. filius; Et hic ad convenientia deducatur, ne quis insusurret post modum:

Quid tibi cum calathus? clypeo manus apta ferendo,
Pensa, quid in dextra quà cadat Hector, habes? (o)

(o) Ovid. I. de Arte.

81. Quod si iam ergò ingenio tali non est præditus, ut ad artes liberales adhiberi possit, id quod est in proclivi facias, & ad aliud vitæ genus, ad quod tamen natura fertur magis, traducas. Non ex medico & medico constat civitas, sed ex medico & agricola Arist. (p) Qua de causa non opus est, ut omnes tui Doctores evadant, sed sufficit si alias honestum in Rep. locum possint obtinere, & sibi, suis & patriæ inservire nec omnes sanè admiserit casta illa Minerva, sed & Mars truculentus, sed & Mercurius versutus sibi quosdam vendicabit proculdubio.

(p) lib. 5. Eth. c. 5.

83. Quod si sentias ingenium subesse & adesse liberale devove eundem Minervæ & castis Musis, & educa cui tanquam lampada tradas pietatem & honestas disciplinas. Quibus sine si vita esset nostra, mors esset & Augeæ stabulum longe pessimum. O vos parentes vestris in liberis per institutionem.

Æthercam servate Deam, servabitis urbem
Imperium secum transferet illa loci.

83. Hic v. respiciant parentes & ad mores & ad Doctrinam

ctrinam. Quæ ita inter se iuncta nescio quid Hespero dignum & Lucifero præ se ferant.

84. *Ad mores.* I. Dent imprimis operam ut tenellulus animus simul cum ipso materno lacte recto de Deo sensu imbuatur, ad rectum in Deum cultum instituatur. Duobus n. his pietas constat; sine altero mutila aut manca. I. Lips. (q) Nosse n. ante omnia summum illud Numen oportet, & cognitum pie pureque Venerari.

(q) lib 1. Polit. c. 2.

85. II. Vt in quibuslibet virtutibus, quæ hanc ætatem decent, ratione loci & aliarum circumstantiarũ, informẽt.

86. Ad quod non parum habent hæc momenti. I. Si ipsæ matres ad colum trahentes fila, cantiunculas sacras occinant, historiolas recitent, fabellas fictas etiam adducant, & ubiq; se gerant tales, ut etiam inscij filioli aliquid boni inde addiscant. Est n. hoc genus hominum in hac ætate μιμητικὸν plane & instar Simiarum, quod quævis etiam arripit, arrepta ad seros etiam annos circumfert.

87. II. Si parentes illa, quæ monent, & ipsi faciant, bonisq; exemplis præeant. Nam

Non sic inflectere sensus
Humanos edicta valent, quam vita regentis. (r)

(r) Claud.

88. Vix ergò quicquam nocentius teneræ ætati, quam si ipsi in præsentia illorum vel sua, quæ olim gesserunt facinora enarrent ebrij, vel committant etiam talia, quæ oculos sauciant & mentes, Imò à recto tramite deijciunt ad quævis præcipitia. Vt Damenetus ille apud Plautum (s) qui------ *cum filio*

Potat unà, atq; unà amicam ductat decrepitus senex,
Et ipse corruptus porrò suum corrumpit filium.

(s) In Asinar. act. 5.

89. *Ad doctrinam.* Hic vero & eloquentiam & sapientiam respiciant, ut si velint viros doctos educare, educent solide doctos, qui instar Herculis Gallici & clavam habeant & catenulas aureas à lingua dependentes h. est qui rerum momentis urgeant, verborum puritate aures deliniant, auditores sopitos quasi virga Mercurij excitent. Breviter, cui dici possit. Tu

 Mente

Mente vales, iuncta est facundia gratia dictu.

90. Perceptis artibus habita prius deliberatione tuos, quos habes, ad Facultatem, quam vocant, sublimiorem deducas, & ita ducas & reducas, ut Resp. in eius gremium tandem sua posset tutò seponere negotia.

91. Sed hic varij casus, variæ circumstantiæ, ubi parentes, si ipsi non satis sibi & suis sapiant, ductores & doctores alios pro ratione etiam sumptuum poterunt adhibere. Neque omnibus ad sublimiores facultates devenire concedit Fortuna, sed & quosdam in inferioribus detinet, qui tamen & pro suo talento Reip. non minus sæpè quam alij quivis prosunt, licet fundamenta rerum lateant, fastigia tantum appareant Nec n. male Socrates, interrogatus quam ob rem ipse non administraret Remp. cum administrandi rationem optimè sciret, Respondit: Eum utiliorem esse civitati, qui multos efficeret idoneos gubernandæ Reip. quam qui ipse gubernaret.

82. Quin & modus instituendi apud omnes non unus, diversi sunt fines, diversa media, diversa ingenia diversa remedia & modos requirere videntur & expostulare. Sed de hac institutione & nos paulò fusius in disputatione nuperrima, Quomodo adolescentes antequam ad Academias ablegantur sint præparandi, pertractavimus. Actum ut agatur non est necessum.

III. Dominorum cum Servis.

93. Et hic servis suis æquè imperant maritus & uxor, idcircò & hos coniungamus. Si quid discrepant id parum certe est vel tale ut ab arte ferme negligatur, cum maxima ex parte sit καθ' ἕκαστα & in particularibus.

94. Sed hic vocabulum servi aliquanto latius usurpamus, ut & illos, qui proprie servi dicuntur, & illos, qui mercede conducti complectamur. Res manifesta. In verborum usu ergò simus faciles.

95. Domini vero cum servis suis, quos habent, convicturi & *defensionem illis debent & Humanitatem omnem.*

96. *Defen-*

96. *Defensionem*: Ingratum n., illum qui ad te, tanquã ad aras confugit, & tua etiam causa quævis pericula adit, tempore necessitatis contra iniuriam non defendere. Melius quidam Philosophus qui ne aviculam quidem, quæ se eius in sinum receperat, perdere voluit, sed illæsam & intactam, tanquam clientem, demisit.

97. Turpe & hoc illi, qui laboribus tuis in rebus defatigantur, victum & demensum denegare. Mercenarius est dignus mercede sua.

98. Turpius illud quod nonnullis admodum familiare, si quæ dederint, dolo malo & vafris artibus rursum extorquere, ut graphicè hoc depingit Davus in persona Getæ apud Terentium (t).

(t) In Phorm. act. 1. Scen. 1.

Quam iniquè comparatum est, hi qui minus habent,
Vt semper aliquid addant ditioribus,
Quod ille unciatim vix de demenso suo
Suum defraudans Genium comparsit miser,
Id illa universum abripiet haud existimans
Quanto labore partum &c.

99. *Humanitatem v.* Homines n. & ipsi sunt, licet servi & ministri. Cogitent ergò & ipsi domini, quasi sint conditione, fragili nempe & inconstanti, & quæ passibus ambiguis volubilis errat

Et tantum constans mobilitate sua est.
Et quondam qui Cræsus erat, momento fiebat Irus.

100. Non ergo probamus illos dominos, vel servos potius (verè n. suorum affectuum & cupiditatum servi sunt) a quibus indigna sæpe imponuntur, quæ & Mezentius ipse reformidaret, vel ubicunque libitum fuerit, dictum factum causa invenitur, quò illi tanquam è promtuaria cella depromantur ad flagrum. Quem processum expertus ipse describit Sosia apud Plautum. (u)

(u) In Amphit. act. 1.

Opulento homini hoc servitus dura est.
Hoc magis miser est divitis servus,
Noctesq; diesq; assiduo satis superq; est
Quo facto aut dicto adest opus, quietus ne sis.

Et

Et

In servitute expetunt multa iniqua
Habendum & ferendum hoc opus est cum labore.

101. Ex quo tamen detrimentum longè maximum non rarò consequuntur, ut tum superiorum, tum nostræ ætatis testantur historiæ, quarum nonnullas recenset Bodinus. (x) *Et hactenus conversatio imperantis cum obediente.*

(x) lib. 1 Polit. c. 4.

Obedientis cum Imperante.

102. Conversatio obedientis cum imperante est *uxoris cum marito, Liberorum cum parentibus, servorum cum Dominis.*

IV. Vxoris cum Marito.

103. Non maritus duntaxat suo debet satisfacere ἐν τῷ συζῆν officio, sed & ipsa uxor. Quod si neglexerit incassum laborabit ille. Si vero fecerit non solum partes dissectæ coalescent quotidie firmius, ita ut verus Geryon, aut Briareus inde existat, sed & ipsa familia crescet indies & augebitur.

104. Vxor ergò debet officium & *Observantiæ & adiumenti.*

105. *Observantiæ*: Dominus n. eius est & caput. Egregium v. caput & dominus, ubi membra subiecta ne vel tantillum illud reverentur, sed suo pro placito excurrunt & evagantur, & prosit obsit nihil pensi habent, modo libeat confestim licet.

106. Vxor ergò suum maritum revereatur unicè & magnifaciat, sciatque se Lunam esse tantum, quæ Solis splendore luceat, & si contingat ut terra interponatur & dissidium fiat, omnem se lucem esse amissuram. Scripta ergò hæc sint in animo uxoris cuiuslibet, quæ proba esse vult & perhiberi.

107. I. *Ad mariti mores & ingenium se accommodet.* Nec n minimum momenti est in uxoribus quales sint mariti. Sunt sui cuiusque mores, sunt itidem vitia, quæ novisse licet, odisse minimè. Quod si ille tristis non rideas tu aut irrideas.

rideas. Speculum probum semper reddit imaginem intuentis: sic materfamilias ad affectum mariti congruat, totamque se ad illius ingenium componat: Morum n. dissimilitudo minime amoris efficiens Arist. (y)

(y) 1. Oeco. c. 4.

108. *II. Amorem reddat mutuum.* Duorum n. est amor, non unius. Quod si maximè maritus adamet coniugem suam, ipsa v. suum aliò derivet, collabescet ille vigor & ardor, & in fumum abibit & vapores. Lignum unum vel ægre vel planè non in foco lucet. *Breviter.*

Unita durant firmius.

109. Suo ergo tantum viro adhæreat, non alios quærat, etiamsi procos habeat & petitores longè formosiores & ditiores. Semel tuum elegisti, vel te ab illo eligi passa es. Quod semel placuit amplius displicere non debet Libera cum esses,

Tunc decuit metuisse tuis. Nunc sera querelis
Haud iustis assurgis, & irrita iurgia iactas (z).

(z) Virg. lib. 10, Æneid.

110. Troianos hic imitare, qui Helenam vel Dea similem Menelao tamen restituendam putabant, ne sibi suisque hinc exitium attrahant funestissimum. (a) Sic tu hic: Alios vita ne infamiam subeas, aut in vitæ discrimen venias.

(a) Hom. Iliad. 3.
Arist. 2. Eth c. ult.

111. *III Sit Pacifica.* Quid n. ibi facias, ubi nihil quam maledicta audias. Mons cum monte non commiscetur. Et

Ex bellis bella seruntur.

Et quod olim ille:

Si male verba volant, veniunt tibi verbera quantum
Lingua tibi, tantum dat mihi larga manus.

112. Non ergo si quid fortasse incidat adversi. Incidit n. sæpissime nobis, qui hanc terræ pilam inhabitamus,

Non semper violæ, non semper lilia florent,
Et riget amissis spina relicta rosis,

Continuò in virum debacchetur, eundemque magis deijciat, sed potius consoletur, & sua oratione blanda, quam potest maximè, omnem ex animo eijciat scrupulum.

113. Non

113. Non inscite olim Poetæ Mercurium Veneri admixerunt.ut ostenderent matrimonij voluptatem maximè oratione indigere. Item Suadam & Gratias, ut innuerent coniuges invicem, quæ vellent, persuadendo imperare debere, & inprimis uxorem pacificam requiri, quæ animum flectere possit & reflectere.

114. Qui tractant equos habent voces, habent poppysmata & palpum, aliaque quibus ferocientes mitigant: Qui elephantes adeunt & illi vestem deponunt candidā, qui tauros, puniceam, qui tygres tympana abijciunt. Cur non ergò uxor illis uti velit artibus erga maritum, quibus eundem possit conciliare, quibus benevolentiam mutuā possit conservare, imprimis, quia nolit velit cum illo communia habet & tectum & lectum.

115. Imprimis caveat ne in principio benevolentia illa mutua dissiliat. Semel n. orta simultate ægrè sarcitur gratia; præsertim si ad summum ventum. Quæ n. glutino committuntur, si statim concutias, facilè distrahuntur; at ubi siccato glutino semel cohæserint nihil firmius.

116. *IV. SIT Patiens* Multa sæpe accidunt, quæ ne ipsi quidem cogitassent unquam mariti. Torvum forte videt, indignatur debacchatur; obsequijs mitiga mutuis, & consilio leni. Si rixis continuò & iurgijs illum, præsertim illo tempore ubi incanduit, adorta fueris; Camarinam movebis, Crabrones incitabis, & plagas sæpe vix effugeres.

117. Et quidem bonum aliàs si habes maritum, qui ob verbulum unum vel nævum tantillum ei poteris succensere? Charitas illa tua hoc non permittet. Sin malum; si tu mala, reddes deteriorem, & quem conciliare tibi debebas, magis abalienabis animum, quem si officijs, mansuetudine, comitate excipias, aut vinces tandem, aut certè illo multò commodiore uteris.

118. Hoc ergò tibi cape: *Vt ameris, amabilis esto.*

Asper equus duris contunditur ora lupatis,
Frena minus sentit, quisquis ad arma facit.

Et

Et

Leve sit, quod benè fertur onus.

119. Nec turpe erit fœminis, licet aliquando de suo iure decesserint paululum; sed fructuosum potius & summo cum fœnore coniunctum. Romæ erat sacellum in palatio Deæ cuiusdam, in quo si quid domi inter coniuges iurgij inciderat, locuti quæ volebant, reconciliabantur. Dea hæc Viriplaca appellata fuit, quo nomine uxores monebantur, non has à viris, sed viros ab uxoribus esse placandos(b).

(b) Lud. vives de Christ. Fœm. li. 2.

120. Qua in parte nulli dubitamus quod rarior futura esset querela, si non Asmodi & Furiæ infernales per sua instrumenta, anus illas & Lamias concordiam illam coniugalem disrumperent & interturbarent.

121. Fontes ergò illibatos retineant suos & videant ne

Doris amara suas hic intermisceat undas,

h. est, malevolorum nescio quas obtrectationes, & in viros directa & eiecta spicula obturatis auribus prætereant, amoris incorruptas aras servent.

122. *V. Sit obediens.* Hecuba n. nisi pareat & pariat suo Priamo vix malum effugit.

123. Quam obedientiam si præstiterit, imperium in maritum nunquam sibi arrogabit. Quo tamen hoc tempore vel nihil frequentius.

Vix etiam Phœbo iam lyra tuta sua est.

At

Quis probet in sylvis Cererem regnare iugosis,
Lege Pharetratæ virginis arva coli?(c)

(c) Ovid. I. Amor Epist. I.

124. Hic tamen ut imperium mulierum, ita consilia non semper damnamus. Vtiliter sæpe eas quis audiet, præsertim si quæ à natura magis factæ ad prudentiam. Augustus erat Imperator; neque tamen pœnituit illum suam Liviam audivisse.

125. *Adiumenti:* Ipsa domi, quæ à viro parta custodiat. Natura inquit Arist. (d) unum sexum fecit robustiorem,

(d) I. Oeco. c. 3.

rem, imbecilliorem alterum ἵνα τὸ μὲν φυλακτικώτερον ᾖ διὰ τὸν φόβον, τὸ δ' ἀμυντικώτερον διὰ τὴν ἀνδρείαν, καὶ τὸ μὲν πορίζηται ἔξωθεν τὸ δὲ σώζηται ἔνδον. Non instar Ocri asellæ per ingluviem fœdam, ut Harpyiæ abliguriat, & ad luxuriam convertat. Quis n. tale dolium pertusum tandem impleverit? Arist.(e)

(e) d.l.c.6.

Serviet æternum qui parvo nesciet uti.

126. *Breviter.* Mutua si fuerint studia, hic servantur & illa. Et Συμφερὴ ἀρετὴ κρείσσων.

127. Interim tamen propria tractet. Ne ipsi insusurretur illud Homericum (f).

(f) Odyß. 1. & 5;

Ἀλλ' ὦς οἶκον ἰοῦσα τὰ σαυτῆς ἔργα κόμιζε.
Quin in tecta abiens tua propria munia cura.

V. Liberorum cum Parentibus.

128. Et liberi suis sunt obstricti & devincti parentibus. Ne quid ergò & hic parentes de ijs conquerantur unice advigilent. Id quod fiet si *obsequium* præstiterint, & εὐχαριστίαν exhibuerint debitam.

129. Vtriusque fundamentum est ipse amor, qui natura insitus omnes merito ad parentes magnifaciendos & amplectendos ducere debet & allicere. Quem si quis non sentit:

Non is est humano sanguine cretus,
Illum sed genuit praeduris cautibus horrens
Caucasus, Hircaneq; admorunt ubera tygres.

130. *Obsequium* consistit in *Obedientia & Reverentia.*

131. *Obedientia quidem.* Quid enim ibi facias, ubi si recta moneas, nemo tamen obtemperat; surdo hoc est narrare fabulam. Perit omnium monitorum salubrium liquor, nisi sit commodum vas in quod destillet.

132. *Reverentia v.* Quia ut Diis sic & parentibus honor habendus. Arist.(g) Et

(g) 9. Eth. c. 2.

In hac parentes qui colit vita suos
Hic vivus atq; mortuus care Deo est.(h)

(h) Euriph.

133. Et

133. Et qualis ergà tuos, tales ergà te tui. Si colas colent, si eludis, eludent.

Nam quo'quique suos veneratur honore parentes,
Sic feret à natis præmia digna parens.

Et crinibus suum qui quondam usque ad limen domus traxerat parentem, idem à suo filio non sine suo damno experiebatur. Arist. (i)

(i) 7. Eth. Nic.

134. Imitentur ergò potius AEneam, qui & suum parentem Anchisen humeris impositum per medias flammas ex Troia incensa asportavit. (k)

(k) Virg. 2. Æneid. Ælian. Var. hist. lib. 3 c 23

125. Et iniquus si sit, feras tamen. Quem n. feres si parentem non feres tuum? Terent. (l) Matris ferre iniurias pietas iubet. Idem. (m) Non modo reticere homines parentum iniurias, sed etiam æquò animo ferre oportet. Cic. (n).

(l) In Heaut. act. 1. Scen. 1.
(m) In Hec. act. 3. Scen. 3.
(n) In Ora. pro Cluen.

136. Rectissimè ergò adolescens quispiam Zenonis discipulus, qui reversus Eretriam interroganti patri quidnam sapientiæ tanto temporis intervallo didicisset? Respondit; Se id quovis tempore posse demonstrare. Nec multo post id egregiè demonstravit. Nam indignante patre & tandem verberibus ipsum afficiente, ipse quietus & tolerans hoc se didicisse dixit, quod facilè parentis sui iram sustinere posset, nec ob id indignaretur.

137. *Gratitudo v.* Illa non minus necessaria & in liberis laudanda, ipsæ ciconiæ ἀντιπελαργεῖν consuevere, & suis senectâ confectis θρεπτήρια persolvere (o) Indignũ si hac in pietate à bestijs homo superari se patiatur, præsertim cum & ipse Deus hanc probet & approbet, & vitam longam & tranquillam promittat illis, qui eandem hanc legem arctè tenent, & sanctè tuentur.

(o) Plin. lib. 10. c. 23. Et Aristoph. in Avibus.

138. Non malè Homerus (p) οὐδὲ τοκεῦσι

θρέπτα φίλοις ἀπέδωκε, μινυνθάδιος δ' οἱ αἰὼν.

(p) Ilia. 4.

Et rectissimè quidem cum omni iure debeant,

Πάτρι δε γηράσκοντι νέον θάλος ἤϊες εἶναι.

139. Quod si καὶ ἀξίαν referre gratias dignas non

possis

posis, per quas potes. Nam ut ipsum ἐλευθέριον οὐ ἐν τῷ πλήθει τῶν διδομένων, ἀλλ' ἐν τῇ τοῦ διδόντος ἕξει (q) consistit: sic & grati animi παράδειγμα & testimonium ubique πάντων ξενίων θυμὸς ἄριστος.

(q) Arist. 4. Eth. c. 1.

140. Heliotropium cum nihil aliud posit grata reciprocatione &

Nutu benefacta rependit.

Idem hic tu quisquis es, fili, parentibus.

Læto disce tuis benefacta rependere vultu,
Si tua non habeat res, neq; verba locum.

VI. Servorum cum Dominis.

141. Nihil frequentius in administratione domestica, quam de servorum & ministrorum incuriæ, perversitate, negligentia querelæ, quibus edulium est dominos fallere, argento emungere, omnia perturbare, & cœlum terræ miscere, ita quidem, ut si ullibi adhortatione & remediis opus, vel hic maximè. Nos hæc adhibemus.

142. Servi qui frugi esse volunt & suis cum dominis bona cum gratia versari & conversari, suis dominis hæc duo se debere cogitent: *venerationem & Obsequium.*

143. *Venerationem quidem:* Quia illi imperant, hi serviunt; Illi nutriunt, defendunt, protegunt: Hi nutriuntur, defenduntur, proteguntur. Servos ergo se esse considerent, non monarchas. Quod si eosdem traducere & absentes arrodere inceperint non ferent impunè. Pampini n. Aesopici à cerva læsi se facile vindicabunt, & limam dum lingebat felis, linguam amittebat. Sit hoc potius omnium:

Cuius edis panes, illius & aspice nutum.

144. Hæc tamen veneratio ut sit diuturnior nolimus ipsos dominos nimiam cum servis colere familiaritatem, non arcana omnia committere, non cum iis non secus ac si cum æqualibus res esset, loqui liberius. Nimia n. familiaritas parit contemtum, & Vulpes Æsopica, quæ sæpius

leonem

leonem aspiciebat, tandem cum eodem verba conferere & colludere non verebatur.

145. *Obsequium v.* Quia nemo domi suæ facilè alet, qui instar Phæacum otio tantum indulgeat & genio, & ceu Cerberus ille Virgilianus offam & columbas assatas faucibus expansis tantum expectet: sed cui res suas domesticas tutò committere possit & commendare.

146. Obsequium ergò servi qui sunt, nolint detrectare. Quod si cogitent, aliorsum se proripiant. Nullus hic illorum usus, servitutem æquam qui ferre non didicerunt. Cur non se suspendunt potius, ut Thebis fiant semidei? Sed frustra. Aulædus sit, qui cytharædus esse non potest. Brevissimè.

Si asinus, quemcunq; asinum sors aspera fecit,
Qui placidè sortem ferre scit, ille sapit.

147. Bovem ergò cum non possint, asinum agant, & sua sorte contenti vivant. Quam ut habeant commodiorem, ipsius domini sibi devinciant animum & concilient. Id quod fiet,

148. *I. Si sint fideles*, nihil suffurantes, aut aliorsum transferentes, nihil fallaciarum & technarum comminiscentes. Semel quidem vel ter etiam licet fallant dominos, tandem tamen quod factum

In apricum proferet ætas.

His semel deprehensis in mendacio, non si postmodum vel quaternas iurarint Styges, quicquam crediderint.

149. Quod etsi frequens fuit olim, & etiamnum est: Tamen negari non potest non rarò & ipsos dominos ansam huic rei præbere non exiguam. Nam quod conqueritur Strophilus apud Plautum (r) de sua, & sæpe de nostra ætate verissimum:

(r) In Anlul. act. 5.

Tenaces nimium dominos nostra ætas tulit.
Inique domini servis utuntur suis,
Et servi iniquè dominis nunc parent suis.
Penum, popinas, cellas promtuarias,
Occludunt mille clavibus parci senes,
Quæ vix legitimis concedi natis volunt.

 Servi

Servi furaces, versipelles, callidi
Occlusa mille clavibus sibi reserant
Furtimq. raptant, consumunt, liguriunt.

Vnde recte tandem concludit.

Servos fideles liberalitas facit.

150. *II. Sint Taciturni.* Non quælibet quæ privatim aguntur in foro, in tonstrinis quibuslibet decantent. Nam

Plus scire satius est
Quam loqui servum hominem, ea sapientia est (s).

151. *III. Mandata subitò exequantur*, & citis quadrigis citius persequantur, ut rectè de se gloriari possint, quod ille Strophilus apud Plautum (t).

Hoc est servi facinus frugi facere, quod ego persequor
Ne moræ molestiæq. imperium herile habeat sibi.
Nam qui hero ex sententia servire servus postulat,
In herum matura, in se sera decet capessere,
Sin dormitet, ita dormitet servum sese ut cogitet.

152. Mandata tamen non quævis, sed si sint pia, si honesta. Sin contra, nolint ultra aras: Sed potius cicutam Socratis bibant, taurum Phalaridis aut mortarium Anacreontis subeant, quam hæc in se admittant, ἔνια γὰρ οὐκ ἔστιν ἀναγκασθῆναι, ἀλλὰ μᾶλλον ἀποθνητέον, παθόντα τὰ δεινότητα. Arist. (u)

153. *IV. Dominorum* quidam si sint fortasse morosi aliquantulum obsequio leniant, non continuò iurgiis obviam eant, provinciam deserant, dominos mutent. Nam quorsum quorsum se vertent tandem: ibi tamen dominos invenient. Imò plerumque ex iussu Nemesis Deæ ab olitore & figulo ad cerdonem cum asino AEsopico delati & suæ pelli periculum imminere experientur, h. est flammam fugientes, in medium ignem incident.

(s) *Plaut. in Epid. act. 1.*
(t) *In Aul. act 4.*
(u) *3. Eth. c. 1.*

Æqualium cum Æqualibus.

154. Conversatio *æqualium cum æqualibus est fratrum* & sororum; tum servorum inter sese.

VII. Fratrum & sororum.

155. In-

155. Inter fratres & sorores, an quid concordia melius iure dubitamus. Hac n. animi & mentes colligantur arcte & constringuntur, ut postmodum contra quoslibet externorum insultus facile se tueri possint & defendere.

156. Hæc ut conservetur, liberi mutua sese prosequantur benevolentia, eaque non simulata. Nullum n. simulatum diuturnum, sed in nervum erumpit tandem & seipsum prodit.

157. Quod si quiddam & hic simultatis intercesserit, detur opera utrinque, ut quam primum seponatur & sepeliatur. Nam mel, ut aiunt, in amarissimam bilem convertitur: Itidem fratrum amor, quo maior, in tanto maius odium, nisi occurras.

158. Hanc v. benevolentiam tum & parentes ipsi, tū fratres & sorores possunt conservare.

159. *Parentes quidem:* si omnibus ex æquo se favere testentur, non unum hunc præferant, & quasi Deus quispiam sit, efferant, prædicent, vestibus preciosis quasi Ganymedem alterum instruant: illos v. deprimant, & quasi nuper ex antro Trophonij sint egressi vestibus corrosis & detritis incedere permittant Quo nihil potest esse perniciosius. Sic n. fit ut animum eius, qui tractatur durius, aut suspicio, ne à fratre in odium patris malitiose inducatur, aut invidia felicitatis fraternæ, subeat; atq; ita tandem ex ista concepta opinione merum odium, malevolentia & offensiones succrescant.

160. *Fratres v. & sorores*, si cogitent sibi rem esse cum suis membris cognatis, quæ sub uno corpore, sub uno Iove continеātur. Breviter. Obsequiū amicos parit & conservat.

IIX. Servorum cum servis.

161. Et hos si discordes sint, una capit domus quidem, sed tamen ægrè, & non sine dispendio domini. Quamprimum n. hic abierit, rixarum plena sunt omnia, & tumultus ubique plurimi, non secus ac dormiente Vlysse venti Æoli ventre emissi

Quà data porta ruunt & terras turbine perflant.
Et vastos volvunt ad littora fluctus.

Interim homines frigent, negotia tardius & negligentius perficiuntur, vel planè intermittuntur.

162. Servi ergò & invicem sibi præstent *fidelitatem & auxilium mutuum.*

163. *Fidelitatem quidem:* Mussitando interdum quædam & condonando, nec omnia ad vivum resecando, nihil surripiendo, nec quævis ad herum deferendo, aut ex musca elephantum faciendo, vel dolosè calumniando & deformando, idque ideo, ut suis socijs odium conflent herile, aut plane suo de ministerio deijciant. Quo vel hoc tempore nihil frequentius. Sed plerumque

(x) Hesiod. lib. 1. Ope.

ἡ δὲ κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη (x)

Et tandem tandem bona causa triumphat.

164. *Auxilium v. mutuum.* Nec n. unus omnia rectè potest conficere & perficere semper. Felicius ergò opus procedit, quod multæ manus levant. Quod si negligatur accidet tandem parti uni, quod equo Æsopico, qui asino suam in portando denegans opellam, tandem & sarcinam integram & ipsam etiam pellem portare cogebatur.

Et hactenus conversatio privata, succedit iam publica.

Disputatio Secunda.

II. Publica.

165. *Publica est, quam publicè colimus.* Quæ ut suas offert subinde circumstantias: Ita & diversos utique conversandi modos requirit. Interim tamen non negamus, quod non parum referat, si quis privatim sese ad omnium ingenia

ingenia noverit accommodare. Hic n. & idem tanto facilius faciet, & instar Protei foro inservire poterit & Scenæ. Consueta n. minus difficulter subeuntur, & Diogenes, si stipem à statuis non accipiat, facilius feret si & ab hominibus denegetur.

166. Nos & hanc duplicem σαφηνείας καὶ ὀρθοδοξίας [illegible] faciemus, ita ut sit itidem *vel Inæqualium, vel Æqualium.*

167. *Inæqualium. Estq; superiorum cum inferioribus, vel inferiorum cum superioribus.*

Inæqualium.

Superiorum cum Inferioribus.

168. *Superiorum cum Inferioribus* Estque senum cum adolescentibus: Doctiorum cum Indoctioribus & Idiotis. Principum cum subditis.

I. Senum cum adolescentibus.

169. Et senes non rarò cum adolescentibus conversantur. Hic ergò & quid se deceat attendant probè & perquirant.

170. Imprimis v. in sua hac cum adolescentibus conversatione sint *Graves & Humani.*

171. *Graves.* Si n. ad quamlibet scurrilitatem, & nescio quam βωμολοχίαν & morum συνάχθειαν se abjicient, illorum dignitas & maiestas refrigescet paulatim, & in cineres concidet.

172. Hæc v. σεμνότης & gravitas observanda illis tum *in verbis tum in factis.*

173. *In verbis* quidem, Quia decus vix potest conciliari mâris senibus, quam si omnia præmeditatè, instar Vlyssis(y) & prudenter edisserant, cum cultu & vultu composito proferant, & ubique τὸ πρέπον respiciant, non ut scurræ quasvis facetas ineptias, & ineptas facetias decantent.

(y) Ovid. 13. Met.

tent. οἱ μὲν τῷ γελοίῳ ὑπερβάλλοντες, βωμολόχοι δοκοῦσιν εἶναι καὶ φορτικοί, γλιχόμενοι πάντως τοῦ γελοίου, καὶ μᾶλλον στοχαζόμενοι τοῦ γέλωτα ποιῆσαι, ἢ τοῦ λέγειν εὐσχήμονα, καὶ μὴ λυπεῖν τὸν σκωπτόμενον. Arist. (z)

(z) 4. Eth. Nic. c. 8.

174. Caveant ergò sedulò ne quid temerè effutiant, quod pias aures offendat, aut teneras mentes sauciet. Sunt n. adolescentes instar fomenti, quod quaslibet flammulas etiam exiguas excipit: sunt instar lanæ præparatæ, quæ quemlibet colorem imbibit facile & concipit.

175. *In Facto* : quid n. turpe à senibus committitur, nescio quomodo omne ferè effugiat excusationem, usque adeò

Omne animi vitium tantò conspectius in se
Crimen habet, quantò senior, qui peccat, habetur,

ut hic accommodemus illud Poetæ (a). Et ipse Philosophus (b) non probat, senex si sit αἰσχυντηλός. οὐδὲν γὰρ δεῖ αὐτὸν πράττειν ἐφ' οἷς ἐστιν αἰσχύνη.

(a) Iuvena. Sat. 8.
(b) Arist. 4 Eth. Nic. c. 9.

176. Et nescio quomodo tam tacitè sese insinuant, quæ sub specie maiestatis quasi reconduntur, imprimis in animos adolescentum, qui sunt εὐκίνητοι πρὸς τὰ φαῦλα & plerumque κατὰ πάθος vivunt Arist. (c) & voluptatem insectantur; nihil magis in votis habentes, quam ut, prout fax Veneris accendit, cum quavis Glycerio possint volutari. Qua & de causa sunt instar amantium,

Qui adveniunt gnaviter, quæ non sentias (d).

(c) 1 Eth. Nic. c. 3. & 8 c. 3.
(d) Terent. in Heaut. Act. 3. Scen. 1.

177. Catonis ergò senioris illud, illorum potius aures circumsonet: Ne ætatis tuæ malis addas turpitudinem (e).

178. *Humani v.* Quis n. cum illis libenter converseretur, quos si aspiciat, caput Gorgonis se aspicere putet, & ubi nihil audiat præter mera fulmina & tonitrua, οὐδεὶς δύναται [illegible] μὴ ἡδεῖ. μάλιστα γὰρ ἡ φύσις φαίνεται μὲν λυπηρὸν φεύγειν, ἐφίεσθαι δὲ τοῦ ἡδέος. Arist. (f) Ex pravitatem sermonum atque morum

(e) Plutar. in Rom. Apophth. [illegible] Apoph.
(f) 8. Eth. Nic. c. 5

haud quaquam mediocre esse amicitiæ condimentum asserit Cicero.(g)

(g) In Lælio.

179. Quo nomine cum ubiq; malè audiant senes, atque ut odiosi & morosi minus φιλικοὶ habeantur, non sint ὀργίλοι, aut πικροὶ, qui δυσδιάλυτοι, καὶ πολὺν χρόνον ὀργίζονται. Arist.(h), sed dent tantò maiorem operam, ut & hîc si Menedemi sint & Demeæ, Mitiones evadant, & tandem sibi persuadeant,

Facilitate nihil homini esse melius, neq; clementia

(h) 4. Eth. Nic. c. 5. & 6.

(i) Terent. in And. act 5 Sc. 4

180. *Sint v Humani tum in monendo, tum in Docendo.*

181. *In monendo* quidem absit omnis acerbitas, & contumelia procul semoveatur. Sunt monendi adolescentes, & non secus ac orbes inferiores à primo illo mobili gubernantur quasi & circumducuntur: sic & iuvenilis ille fervor, senum prudentia temperandus & mitigandus, & tamen sicut supremum illud cœlum inferiores omnes orbes secum ducere dicitur, ut proprium eorum motum non abrumpat aut sistat: sic & hic ille fervor non statim arrepta securi excindendus est & extirpandus. Id n. nec fieri potest facilè, nec si fiat, multum profuturum.

182. Non statim hæc ætas suam ad maturitatem pervenit, sed habet nonnihil asperitatis & amaroris, quod cum tempore exui tandem facilè potest & elui, & senum consilio, modo ἐπιδεξιότης quædam adhibeatur, condulcari, non secus ac uvæ nondum maturæ tandem à sole percoquuntur & dulcescunt.

183. *Brevissimè*, Non sint τιμωρητικοὶ, ἀλλὰ μᾶλλον συγγνωμονικοὶ, quod requirit in mansueto Philosophus.(k)

(k) Arist. 4. Eth. Nic. c. 5.

184. *In Docendo v.* προθύμως καὶ ἡδέως illa, quæ longo usu cognoverunt, vel alias per diligentiam sibi compararunt, illis communicent, & sibi gaudeant, si quas abeuntes relinquere possint stellulas, quæ & suæ posteritati pietate & sapientia possint prælucere.

185. Quorsum tibi thesaurus, si quisquiliis obrutus neq;

tibi neque aliis inserviat? Quorsum eruditio, quæ neque tibi nec aliis utilis. Viventibus illam si denegas, apud Inferos Charon illam non respiciet, & nihilominus, nisi τὰ π[illegible]μία adferas, à navicula sua te abiget, ut bellè fabulatur Lucian. (l)

(l) In Dialog.

186. *Rectius Seneca:* (m) in hoc scire aliquid desidero, ut alios doceam. Si cum hac exceptione detur sapientia, ut illam inclusam teneam, abijciam.

(m) Epist. 6.

II. Doctiorum cum Indoctioribus & Idiotis.

187. Et hîc si qui sunt, quorum

De meliore luto finxit præcordia Titan,

ita se præbeant ergà illos, qui non sunt planè aurei, ut nihil habeant quod iustè & hi conqueri possint.

188. Id v. fiet demum si se doctos esse cogitent h. est se & Musis & Charitibus litasse ita quidem, ut ubiq; modestam humanitatem & humanam modestiam imprimis sibi placere permittant.

189. *Modesti ergò sint & Humani* erga illos, qui eruditione & ingenio inferiores.

190. *Modesti* quidem. Nihil n. potest, vel esse stolidius vel ineptius, quàm si & apud quosvis ἐπιπολάζειν velis, teque in universum omnibus præferre, & tuam ubique expuere sapientiam, & nescio quas subtilitates in scenam proferre, ubi nihil opus, nec sunt qui intelligunt.

191. Ingeniorum hoc videtur esse arrogantium, & illorum, quæ extra quidem fulgent, intra tineis sunt obducta & quæ in fronte & lingua multum, in recessu parum.

Sed non replenda est curia verbis (n).

(n) Virg. 10. Æn.

Altissima quæque flumina minimo sono labuntur, & aristæ plenæ capita demittunt, inanes erigunt, & ligna, quæ plurimum fumi emittunt, ferè minimum caloris exhibent.

192. Quo in loco frequentiores sunt querelæ, quam quia

quis vellet, ubi & illos, qui vix sacciperium abiecerunt, audias de materia prima, quinta essentia, lapide Philosophorum, cometis & Draconibus, de ente reali, intentionali, prædicabili, prædicamentali declamitare apud illos sæpe, qui ad istiusmodi vocabula obstupescunt, & exhorrescunt, non secus ac si cælum ipsum ruinam minitetur, & in chaos antiquum velit collabi.

193. Imprimis hoc improbandum si fiat inter pocula. Hic ubi neque lingua, neque pes neque manus suum faciunt officium, qui tandem mens faciet? Hinc fit ut sæpe etiam de lana caprina rixas moveant maximas, & à verbis tandem ad verbera progrediantur, & sicut apud Centauros Theseus cratera vastum *vastior ipse*

Sustulit,——adversaq; misit in ora (o).

Sic & hic. Quia neuter vult cedere, *Nec n. te Lavinia coniunx,*

Sed vicisse petunt, deponendiq; pudore

Bella gerunt (p)

unde & rarò quiescunt,

Nisi vocem gravis hasta sequatur.

194. Quantò rectius Nazianzenus.

καλῶς κρατεῖν ... κρεῖσσον ἢ νικᾶν κακῶς.

195. Vt neque hoc usque adeò probandum, quod si fortasse indoctiori vel idiotæ inconsideratè excidat verbulum unicum, statim illi in cachinnos toti solvantur, & ... supplosi examinent sæpissimè, & non rarò in ... alienum detorqueant. Profectò si ullibi, & hic

Simplicitas semper digna favore fuit. (q)

Et ἀθλούμενοι si pugnent cum ἀνώπλοις, ἀθλητικὰ cum ἰδιώταις parum est honorificum, Arist. (r)

196. *Humaniores* sibi gratulentur potius, quod ex fece ... exemti instar aquilæ oculos attollere audeant, & solem penitius introspicere, Pallada & sapientiam ... Interim & illos homines esse cogitent, qui hac in statione collocati etiam sub eodem Imperatore stipendia mereant, sub quo ipsi. Quæ cogitatio facilè ipsos retrahet

(o) Ovid. lib. 12. Metam.

(p) Ovid. 14. Meta.

(q) Ovid. in Epist. Heroid.

(r) 4 Eth. Nic. c. 3.

à contemptu omni. Vnde & tandem sibi decus contrahent & ipsis Musis.

197. *Sibi quidem.* Quia ab omnibus colentur magis, & maiori in pretio habebuntur.

198 *Musis v. Quia* sic tandem, quæ dudum pro nullis habitæ, & quasi ab his, tanquam ab Helena bellum Trojanum; sic seditio & tumultus omnis concitetur, damnatæ, revocabuntur & amabuntur, verumque illud esse comprobabitur.

------Ingenuas didicisse fideliter artes
Emollit mores, nec sinit esse feros. (s)

(s) Ovid. 2. de Ponto Eleg. 9.

III. Principum cum subditis.

199. Amplum est & illustre munus principes quod sustinent. Divinitas est hæc dignitas, ut rectè dicebat I. Lips.(t) inprimis si salubriter atque ex usu publico administretur.

(t) In præfat. Polit.

200. Difficile tamen interim & satis arduum, varia subditorum capita sunt, quæ non sine summo consilio & auxilio sub unum commune quoddam obedientiæ iugum possunt reduci. Quod si solvatur, difficilius regentur, quã equi solares apud Ovid. (u)

(u) lib. 2. Metam.

201. Mare etiam impetuosissimum haud mare est, sed vulgus est, in quo difficilius, quam imperiti suspicantur, rectum cursum tenere, nec varijs hominum tumultibus commoveri. Quæ non hic requirentur anchoræ, quibus in undoso illo mari navis gubernatoria firmetur; Quæ non prudentia, qua velut claro gubernetur?

202. Vt nihil dicamus interim de ipsis hostibus internis, à quibus facile devincuntur homines, & in summa illa Fortuna, Licentiæ ventis facilimè abripiuntur, & quia libet, omnia licere sibi persuaderi permittunt. Hic nisi fluctuantem animum virtute obfirmes & confirmes, actum est ilicet, perijt funditus. Nam ἄνευ ἀρετῆς οὐ ῥάδιον φέρειν ἐμμελῶς τὰ εὐτυχήματα. Arist. (x)

(x) 4. Eth. Nico. c. 3.

203. Quò ergò maiores vulgo principes, eò magis etiã exeant è vulgo, neq; se suis ab affectibus in gyrum abduci

duci permittant. Quod si fiet, omnes unà abibunt ocyus.

204. Arctâ n. quadam catenâ devincti sumus qui imperamur cum imperante, & ut in corpore mens sana alit insana esse non potest, nisi aut pariter vigeant aut langueât functiones: non item in hac societate princeps. I. Lip. (y) Ad virtutē ille præit? sequimur. Ad vitia? inclinamus. Benè beateque agit? floremus. Improsperè? labimur aut ruimus cum illo. Verissimum n. quod inquit Poeta (z).

—— Procerum motus hæc cuncta sequuntur,
Humanum paucis vivit genus.

205. Suo ergò eò diligentius & in vita privata satisfaciant officio, & in publica conversatione ergà alios. Privatim quomodo à primis unguiculis instituendi, & quibus virtutibus debeant esse præditi, fusissime alias Politici, & nos de hoc, σὺν θεῷ suo tempore. In publica quid imprimis ipsos deceat iam docebimus.

206. *Principes v.* cum quibus conversantur, illi sunt *vel in Aula vel extra Aulam.*

207. *In Aula sunt consiliarij vel administri.*

208. *Consiliarios* vocamus cum I. Lips. (a) *qui fidi rerum hominumq; periti salutaria suggerant Principi pace sive bello.*

209. Quanquam sunt, qui omnino non necessarios principibus esse autumant, ut sunt nonnulli, inter quos familiam quasi ducit *Macchiavellus* (b) næ illi intelligendo faciunt, ut nihil intelligant.

210. Respice n. ipsum imperium, respice ipsos principes, utrobique vel maxime requiruntur.

211. *Ratione imperij.* Quam n. hic varij casus offeruntur, quam varia scelerum genera, quam varia pericula & negotia, in quibus, non si ipsum Argum adferas, satis oculatus esse posset. In privatis rebus quam sæpe hallucinatur non peritissimus paterfamilias, & quæ erit dementia asserere principes in tam varijs negotijs ad omnia satis posse esse perspicaces, ita quidē, ut nullibi errent aut labantur. Deum mihi si dederis crediderim, si hominem nunquam. Fingi fortasse potest & nescio qua in Platonica Rep. introduci ille vir πανάριστος Hesiodeus.

Ore

(y) d. l. in Præf. Polit.

(z) Lucan. lib. 5.

(a) lib. 2. Polit. c. 4.

(b) c. 23. de princip.

(c) Hesiod. in ἔργοις

ὃς αὐτὸς πάντα νοήσῃ (c)

Sed in vita hac humana vel rarò vel potius nunquam reperitur.

Arist. lib. 1. Eth. c. 4.

212. *Ratione Principis v.* tum ut onere sublevetur, tum ut prudentior evadat. Ilic quidem. Quia ἀνάπαυσις τῶν πόνων ἄρτυμά ἐστι. Plutarch. (d) Et

(d) lib. de Educ. puetor.

Quod caret alternâ requie, durabile non est. (e)

(e) Ovid.

Nisi ergò sint qui hunc Atlantem aliquo modo sublevent, & instar Herculis, oneri succedant, Rex ille Latinus succumbet tandem & viribus omnibus exhaustus concidet. Hic v. Quia fit σοφὸς τῶν σοφῶν συνουσίᾳ, quorum opera & ope ad quosvis subsequentes ictus præmuniatur & præmoneatur.

213. Brevissimè. Plus vident oculi, quam oculus, εἷς ἀνὴρ οὐ πάνθ᾽ ὁρᾷ. Et ἱερὸν χρῆμα συμβουλή.

214. Diomedes erat Princeps prudentissimus. At interim tamen ad exploranda castra hostium offerens Græcis suam operam, aliquem socium sibi adiungi petit apud Homerum (f).

(f) Iliad. 10.

215. *Et Agamemnon ille Homericus* cum alios tum imprimis Nestorem habebat, cuius decem similes συμφράδμονας sibi dari exoptat, quibus datis futurum ait, ut Ilium statim diruatur, & funditus evertatur. Et non malè Impp. rescripserunt, cognoscimus, quod cum vestro consilio P. C. fuerit ordinatum, id ad beatitudinem nostri imperij, & ad vestram gloriam redundare.

216. *Principes* ergò consiliarios, tanquam imperij sui fulcra & στύλους primum eligant, deinde cum electis dignè conversentur.

217. *In Eligendo* respiciant & *Bona corporis*, *& ipsius Animi*.

218. *Bona corporis.* Videant ut bonam ac perfectam corporis constitutionem habeant, non mutilatam. Plerumque n. sub distortis membris aliquid monstri alitur, & ab his, quos Deus ipse signavit, nobis cavendum esse, vulgare iubet dicterium.

219. Et vix est possibile eos, qui adversa cum valetudine conflictantur & colluctantur, aut ab alijs corporis vitiis & incommodis molestantur, rebus agendis æquè posse esse idoneos, ac illi sunt, qui corpore sunt vegeto & vivido. Nam quod inquiebat. Arist. (g) *ου αυτάρκης ή φύσις πρὸς τὸ θεωρεῖν, ἀλλὰ δεῖ καὶ τὸ σῶμα ὑγιαίνειν.*

(g) 10. Eth Nic. c. 8.

200. Quinimò autoritatem quandam debent obtinere, imprimis si ipsis verba ad populum facienda At quam obtinebunt autoritatem, si procedant, instar Zoili, de quo Martial. (h)

Crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine læsus.

(h) lib 12. Epigr 54.

221. Optimum ergò, si ambo concurrant in illis, ut nimirum sint & εὐσχήμονες καὶ σοφοὶ h. e. si sint mentes sanæ in corporibus sanis. Si tamen hîc uno carendum, malo caput minus ornatum, modò habeat cerebrum, quam caput variè pictum & fictum cerebro carens. Nec n. capilli crispi, oculi flavi, dentes candidi sapientiam statim conciliant, & sæpe etiam in sordido tuguriolo latitat Dea. AEsopus erat deformis, & tamen eruditissimus, Crates gibbosus, Philosophus tamen eximius.

222. De statura & hic inculcant multa multi. Mediam nos eligimus, vel potius Principes. Nam decus habet quoddam, & cum decore coniunctam gravitatem. In defectu tamen & bona non quæ notæ sunt primæ duntaxat accipimus, sed & quæ secundæ, sed & quæ proximè ad medium accedunt.

123., *Bona v. Animi.* Quæ & ipsa vel imprimis consideranda. Sine his n. si sint, ad consilium dandum non magis erunt idonei, quam statua aurata ad saltandum, quam asinus ad volandum. Brevissimè. Pelias hasta non alij quam Achilli convenit, & Penelope suum ad arcum tendendum Dromonem non admittit.

224. Hæc v. tum Virtutes, tum Eruditionem complectuntur.

225. Virtutes si desint, eruditio non amplius est sana, sed

F

(r) 1 Poli. c. 2. na, sed ἀδικία μετὰ ὅπλα ἔχουσα Arist.(r) Iam enim tar quam fulcris instructa illa perversitas, quælibet legum claustra perrumpet, elidet, imò eludet.

226. Hæ v. sunt tum *Pietas* tum *Probitas* quæ omnino requiruntur in Consiliario.

227. *Pietas* quidem tum ratione ipsius Consiliarii, tum ratione consilij dandi. Illic. Ad quæ enim non peccata ἀδιαπταίστως & pleno cursu proruet, si Deum non colat, pietatem nihili ducat, sed instar Sardanapali τ' ἄλλα οὐδὲν esse statuat. Hic v. Quia consilium bonum à Domino. Θεοῦ μὴ διδόντος, οὐδὲν ἰσχύει πόνος. Et

Nullius est felix conatus & vtilis vnquam,
Consilium si non detq; iuvetq; Deus.

228. *Probitas* v. Quid enim ille tandem consulet, qui ipse affectus suos regere non potest, iustitiam colit nullam, veritatem nullam audit; sed cæco impetu quasvis ad delitias provolvitur.

229. *Eruditio* v. & ipsa non minus necessaria. Fundamenta non sufficiunt, nisi & adsint quæ superstruuntur. Virtus fundamentum, cui eruditio super imponitur, vel potius apponitur.

(k) Lib. 3. Pol. c. 4. & in Not. ad d. l. p. 45. 230. Quàm tamen si nimia sit, cum I. Lips. (k) non laudamus. Disputare n. & sermocinari magis quam suadere possunt; Et tempus sæpe terunt, milium, quod dicitur, terebrando, & in lente vnguentum quærendo. Calida ista & callida ingenia in multiplici inventione & rationum copia plerumque natant, & ægre expediunt aliquid, cui insistant. Quinimo sæpe illa proponunt, quæ ne in ipsa Vtopia invenires.

231. *Hæc ipsa autem Eruditio ex Sapientia & Eloquentia* tanquam partibus geminis conflatur. Vna si desit, manca est & mutila. Iuncta placent, disiuncta minus.

232. *Sapientia ergò & Eloquentia* vt Consiliarius sit instructus, videant Principes.

233. *Sapientia* quidem. Quia τοῦ φρονίμου μάλιστα ἔργον

τὸ συμφέρον Arist. (l) Et salutaria debent suggerere, qui finis & velut portus quò velificentur Consultores. I. Lips. (m) At vnde salutaria illa & vtilia hominibus suggerent, nisi eruditionem quandam sibi comparent, nisi vel vivos audiant vel mutos consulant. Virtus moralis nulla φύσει ἡμῖν ἐγγίνεται Arist. (n) Et ἡ μὲν διανοητικὴ τὸ πλεῖστον ἐκ διδασκαλίας ἔχει καὶ τὴν γένεσιν καὶ αὔξησιν. διόπερ ἐμπειρίας δεῖται καὶ χρόνου. Arist. (o)

(l) 6. Eth. Nic. c. 7.
(m) 1 lib. 3. Polit. c. 5.
(n) 2. Eth. Nic. c. 1.
(o) ibidem.

234. Quæ sapientia comparatur, *Ex studijs Philosophicis*. Quæ quisquis alto q. supercilio despicit illorum vsum non magis intelligit, quam rusticus ille servus literarum. Hic enim cum herum literarum fasciculum videret conscindere, rogavit eum tres aut quatuor sibi vt donaret. Quærenti autem domino ad quid ijs opus fore censeret? cùm, inquit, patria mea excederem, rogavit me mater mea, literas quandoque ad ipsam vt mitterem. Mittam igitur has, quibus te non indigere video.

235. *Imprimis v. Ethicis & Politicis.* Hic enim quomodo & privatim ipsi affectus moderandi, quomodo politice Resp. gubernanda, quomodo omnia ad Honestatem referenda & si quæ alia in vita necessaria, abundè inculcantur & proponuntur. Licet interim non negemus & multum prodesse, si Mathematica perdidicerit, & in physicis studijs nonnihil operæ posuerit.

236. *Tum & Historicis.* Hîc enim res gestas inveniet. At res gestæ ad consultationem vtilissimæ. Arist. (p) Nam vt plurimum præteritis futura sunt similia, & eadem fermè fabula agitur, mutatis tantum personis.

(p) 2. Rhetor. c. 21.

237. Vt & ex *Iurisprudentiæ studio*. Incidunt enim illa, quæ sine LL. cognitione decidi & componi nullo modo possunt. Quoties agitur de iure alicuius civitatis, de iure portus, agri, fluvij, &c. Vnde levi de causa sæpe bella nascuntur, vbi hæc cognitio efficiet tandem, vt non solum de re proposita disserere possint, sed etiam ingentibus malis iusto tempore occurrere.

238. *Eloquentia v.* Quorsum n. tibi κειμήλιον si quisquilijs obruatur, & in stabulo sub fimeto recondatur? Quorsum sapientia & rerum utilium cognitio, si non ea, quæ didicisti, proferre queas, ubi opus est, alijsq; eâdem inservire?

239. Hisce imprimis instructos si quos elegerint Principes, & quomodò cum ipsis conversandum, perpendendum.

240. *In conversando* ergò I. *Sint Humani.* Si quid n. est, quod thronum maiestatis conservat & stabilit, quod hominum animos quasi fascinat, & sibi totos conciliat, vel hæc virtus sola est, vel maximè. Ex torvo vultu, morosis moribus nihil nisi metus. At quem metuunt oderunt, quē oderunt perijsse expetunt.

241. *II. Maturè delibèrent.* Stat n. occasio in rotula, & primum capillata est, postica calva (q) primam nisi arripias instar Protei Virgiliani (r) te postmodum eludet, unde & comitem habet μετάνοιαν ut scribit Politian. (s) Hanc ergò

ὑμῆσδ' ἀσιμφέως ἐχέμιν μᾶλλόν τε πιέζειν (t)
Vos premite, & vinclis magis arctè stringite captam.

242. *III. In deliberatione admittant libertatem.* Os n. si clausum, vel omnia ad nutum Principum dicenda, quorsum opus est consiliarijs, ubi collatis opinionibus tandem quid optimum, eligendum. Vt oculi, ubi glaucoma obsidet, puriter non vident: non item mens ubi affectus. I. Lipſ. (u) Ἄνευ παθῶν ergò ad hunc conventum Areopagiticum conveniant omnes.

243. Assentatatores ergò illi συγκατανευσιφάγοι, & qui, ait quis, aiunt, negat quis, negant, (x) & omnia παρὰ γνώμην καὶ πρὸς χάριν λέγουσι. (y) longum hinc valeat. Vt n. fulmen ossa sæpe diffringit illæsa cute: Ita assentatio regum præcordia vulnerat sub specie amicitiæ, vocem habet quidem Sirenum, sed voracissimum Charybdis ventrem.

(q) Claud. Minoe. in Alc. Embl. 121.
(r) lib. 4. Georg.
(s) c. 49. Miscell. & Erasm. in Adag. Chil. 1. cent. 7.
(t) Hom. Odyss. 4.
(u) cent. 2. Epist. 97.
(x) Terent.
(y) Thuc. lib. 3.

244. *IV Deliberata* & iam conclusa ἱκανῶς exequantur. Nam & hic periculum in mora. Et si quid neglectum:

Non solos tanget Atridas
Iste dolor. Sed
Quicquid delirant reges, plectuntur Achivi.

245. *V Sint Benefici.* Inconveniens n. videri poterat illos, qui toti regno inservientes consumuntur, non aliquo saltem præmiolo sublevare, & stipendio digno ornare.

246. *Deniq; suos ad honores dignos evehant.* Vbi n. virtuti honos non habetur, ibi optimus rerum status non diu firmus consistit. Aristot. (z) *Et vel maximè quò meliores.* τῆς γὰρ ἀρετῆς ἆθλον ἡ τιμὴ, καὶ ἀπονέμεται τοῖς ἀγαθοῖς. Et κατ' ἀλήθειαν ὁ ἀγαθὸς μόνος τιμητός. Arist. (a)

(z) 2. Poli. c. 9.
(a) 4. Eth Nic. c. 3.

247. *Administri sunt,* qui publicè vel privatim principi exhibent in functione aliqua sui usum.

248. Quibus cum & ipsis si conversandum principibus, & se & illos homines esse cogitent, non tyrannicè aut κυκλωπικῶς eos tractent, sed humaniter defendant, protegant, omnique ratione sibi illorum animos devinciant, ut sic ipsi arbores maneant, sub quibus tutò delitescant oves & umbras captent.

249. *Extra Aulam* sunt cæteri subditi, quos speciali nomine sic vocamus. Cum his conversantes Principes præbeant se omnino humanos & clementes.

250. Præsunt hominibus, sed hominum causa, nec domini modo & arbitri rerum, sed tutores sint & administri. Mali & improbi illi, qui in imperio non nisi imperium cogitant, superbi, desides: & qui se non civibus datos arbitrantur, sed sibi cives.

251. Sidera illa magna splendorem habent, sed ut usibus mortalium deserviant: sic principes dignitatem, sed cum munere officioque devinctam. Quod si denegabunt illi, qui dedit suo tempore istius talenti rationem reposcet.

252. Solem imitentur potius. Hic cum altissimus est & in apogæo constitutus, tardissimè movetur: Sic Principes quò sublimiores, tantò sint modestiores, tantò humaniores, & videant, non quid in se magnum habeant, sed quid proprium. Certe Saladini istius magni sola interior tunica duntaxat restabat, & Crœsus ipse in rogo ô Solon Solon, inclamitans, vix servatur.

(b) 2. Poli. c. 12.

253. *Clementia* hæc omnia conciliat, quæ sceptro digna, amorem, firmitatem, gloriam, vt explicat I. Lips. (b)

254. Sed tamen & hic iudicium requirimus. Quia absque illo mollities hæc est & lentitudo. Secedit paululum ab acri isto Iustitiæ Sole, sed secedit, non discedit, diversa potius quàm adversa.

(c) Ovid. lib. 1. met.

(d) Sen. 1. de clem.

255. *immedicabile vulnus*

Ense recidendum est, ne pars sincera trahatur (c)

Et tamen si nimis rigide puniatur non id ex vsu publico. Quia severitas amittit assiduitate autoritatem (d)

(e) 2. Ilial.

256. Brevissimè. *Subditorum salus suprema lex esto.* Pro hac etiamsi cæteri Dij dormiant, ipsi tamen excubent insomnes, semper memores istius Homerici: (e)

οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα
ᾧ λαοί τ' ἐπιτετράφαται, καὶ τόσσα μέμηλε.

Inferiorum cum Superioribus.

257. *Inferiorum cum superioribus.* Estque hæc ex ratione τῶν πρός τι *Addescentum cum senibus: Indoctiorum & idiotarum cum doctioribus, subditorum cum Principibus.*

IV. Adolescentum cum senibus.

(f) 8. Eth. Nic. c. 1.

258. Adolescentes etsi propter morum dissimilitunem ægrè senum conversationem expetunt. Sic n. fit ferè, vt semper asperi sint monitoribus, vtpote qui libero cælo cupiunt involare, non includi caveæ: Tamen illis omnino est necessaria πρὸς τὸ ἀναμάρτητον Arist. (f) Sic n. ipsorum προπέτεια plane Phaethontea, & incontinentia Icaria, retundetur aliquantisper & deprimetur. Si quæ fortasse ἀβούλως incepterit adolescentes, continuò hi Soles:

Magna petis Phaëthon, & quæ non viribus illis
Munera conveniunt, nec tam puerilibus annis,
Sors tua mortalis, non est mortale quod optas. (g)

(g) Ovid. lib. 2. metamorph.

259. Et assuescent paulatim, si ipsi senes nonnihil remiserint suam morositatem. Quæ vt sæpè Senum est propria: sic negari non potest & hanc ab ipsis adolescentibus augeri sæpe & foveri nimia morum perversitate, vnde & hic, vt duro nodo, durus sit quærendus cuneus.

260. Quod si ergò senes humani sint, & suum faciant officium; adolescentes v. & ipsi suum non negligant, mira exinde existet *ἁρμονία*, & illis conferet *πρὸς θεραπείαν, καὶ τὸ ἐλλεῖπον τῆς πράξεως, δι᾽ ἀσθένειαν βοηθείας:* His v. *πρὸς τὸ ἀναμάρτητον.* Arist. (h)

(h) 8. Eth. Nic. c. 1.

261. Id v. non negligent adolescentes, si imprimis *observantiam* præstiterint & *attentionem.*

262. *Observantiam* quidem. Duces enim cùm sint, vt duces iure honorandi. Sparta ergò sit quælibet civitas, imò quælibet domus, in qua nihil sit, quod seni adveni enti non gratuletur, non occurrat, non *τιμὴν ὑπαναστάσει καὶ κατακλίσει, καὶ τοῖς τοιούτοις* non exhibeat. Arist. (i)

(i) 9. Eth. Nic. c. 2.

263. *Hæc v.* vel maximè conspicicitur & *in verbis & factis.*

264. *In verbis* non quæ in buccam venerint, effutiant continuò, & q. cum æqualibus res sit, quælibet proferant, sed audiant potius, quæ dicunt senes, & vt Pythagoræi tacere discant prius quàm loqui.

265. *In factis v.* nihil committant, quod in ignominiam ipsorum vergat aut contumeliam, non insultent, non irrideant illos, si non omnia fortasse secundum normam rectam fiant & peragantur.

266. Rectè Bion, referente Laertio (k) & Erasmo (l) nulli dicebat esse exprobrandam senectutem, ad quam omnes optarent pervenire. Absurdum n. esse, alijs probro dare, quod quis optat.

(k) lib. 4. c. 7.
(l) lib. 7. Apoph.

267. Sordido ergo incedit palliolo, crinib. male dispositis, scapulis depressis, capite obtorto, noli irridere, sed cogita, quod & olim fuerit adolescens vegetior fortasse & formosior

formosior quam tu ipse: Imò potius perpende tecum hujus vitæ fluxibilitatem, & vide, ut dum vires sunt vegetæ compares tibi eruditionem & virtutem, retineas tibi bonam conscientiam, quæ sunt optima ἐφόδια πρὸς τὸ γῆρας.

268. Si non instar Aiacis in quoscunque ruere possunt, & altas rupes demoliri; Prodesse tamen interim poterunt, ut Homericus Hector, salubri consilio. Aetas quidem senum.

Viribus illa minor, nec habendis utilis armis,

Consilio patriæ sæpe ferebat opem.

269. *Attentionem* v. Quorsum n. si quis vel ad raucedinem usque declamitet, is v. cuius causa agitur, præsens absens sit, & cogitationibus peregrinetur apud Antipodes vel extremos Indos. Quid hoc aliud quam laterem lavare, & in mare sementem facere? Sapientia per tegulam, te etiam invito, in cerebrum, ut Iuppiter in sinum Danaes, decidere non consuevit, & eam, qui infunderet, hactenus inventus nemo.

270. Si in monendo sint fortasse nonnihil asperiores, ferant, & ne admonitione illa imposterum opus, sedulò annitantur. In factis, si quæ bona, excerpant & imitentur, si quæ mala, tegant & aversentur. Alphæus mare Siculum præterlabi dicitur, sine mixtione undaruim ad suam Arethusam: sic & hic adolescentes suo in cursu integritatis honesta, sine ulla admixtione inhonestatis, velint semper & cogitent.

V. Indoctiorum & idiotarum cum Doctioribus.

271. Et indoctiores & idiotæ, si fortasse cum doctioribus conversentur, quid se deceat, itidem meminerint. Imprimis v. respiciant ad *Observantiam* præstandam & *Silentium*.

271. *Observantiam* quidem. Quis n. non iure magnifaciat

ciatillos & admiretur, quos Deus ipse præ alijs multis egregijs ingenij dotibus nobilitavit?

273. Est aliquid parentes habere celebres. Non negamus. Quia καλὸς παῤῥησίας θησαυρὸς εὐγένεια, καὶ μὲν δὴ τὰ φρονήματα τῶν ὑπόχαλκον καὶ κίβδηλον ἐχόντων τὸ γένος σφάλλεσθαι καὶ ταπεινοῦσθαι πέφυκε (m) At

Quæ nos non fecimus ipsi
Vix ea nostra voco. (n)

Et à rege Antigono non πατραγαθία, sed αὐδραγαθία ferre solebat præmia.

Malo Pater tibi sit Thersites, dummodo tu sis
Aeacidæ similis, Vulcaniaq; arma capessas,
Quam te Thersitæ similem producat Achilles. (o)

274. Patriam habere celebrem, benè moratam, omnib. copijs affluentem, iuvabit, si nos boni, si mali parum: Nec enim malè Themistocles, cui cum Seriphius quidam patriæ gloriam obiecisset, diceretque eum nequaquam sua, sed patriæ gloria, splendorem assecutum. Nec hercle, inquit, si ego Seriphius essem, ignobilis essem, nec si tu Atheniensis, clarus vnquam fuisses, Cicero (p)

275. Ipso Crœso opulentior, ipsa Helena pulcrior, ipso Pandaro Virgiliano si quis robustior, iuvat, si illis benè vtatur, sin minus, parum vel nihil. Abeunt omnia hæc, & in fumos & cineres fatiscunt.

276. Si ergò quis pius, & eruditus, si virtute præditus, longè maiorem meretur laudem & observantiam, licet interim, sic cœco Pluto disponente, in dolio Diogenis latitare cogatur, & vix elementa Empedeclea possideat, Quàm si stultus interim & bardus, stupidus, inops consilij & rationis, licet fumosas ostentet maiorum imagines.

[illegible] Curios iam dimidios, nasumque minorem [illegible]
[illegible] Corvinum, & Galbam auriculis nasoque carentem [illegible]

277. Virtus est μόνιμον [illegible]. Arist. (q) & semper consistit inconcussa, instar quercus Virgilianæ, quæ

(m) Plutarch. in lib de educ. libe.

(n) Ovid. lib. 13. Metam.

(o) Iuven. Sat. 7.

(p) In Cat. Maiore.

(q) 8. Eth. Nic. c. 3.

hæret

hæret scopulis, & quantum vertice ad auras
Aethereas, tantum radice in tartara tendit. (r)

(r) Virg. 4. Aeneid.

Brevissime. *Bello hac & Pace iuvabit.*

278. *Silentium v.* Qui enim quod aptè loquatur nec habet, ei tacere conveniet, imprimis vbi de rebus a[illegible] disceptatur, & quas ipse non intelligit, ne ipsi aurem vellicet Apollo, & insusurret: (s)

(s) Virg. Eclog. 6.

Pastorem, Tityre, pingues
Pascere oportet oves. Vel hoc Apellæum: *Ne sutor vltra crepidam.*

280. Quanquàm plerumque fit, vt quo indoctiores, eo impudentiores sint & clamosiores. Pro quo malo hæ valent remedia, vel vites illos, si potes, vel si non potes, bonum habeas stomachum, & potius te respicias, quàm illos. Si n. increpabis statim & reprehendes, crabrones incitabis & irritabis.

VI. Subditorum cum Principibus.

281. Hi, quibus imprimis cum Principibus conversandum, sunt *Consiliarij, administri, subditi cæteri.* Omnes & singuli suum debent [illegible] officium.

282. *Consiliarij* quidem vt Principibus tanquam Dij tutelares sunt adiuncti; sic & meritò suo non debent deesse officio, sed pro salute totius imperij excubare.

Seu cum primus equis oriens nos afflat anhelis;
Seu cum sera rubens accendit lumina Vesper.

283. Id verò fiet si illis, de quibus diximus antea, bonis instructi, suam probent in consilijs dandis 1. *Diligentiam.* Adsint vocati omnes, & quisque quam maxime [illegible] salutarem, dicat sententiam. Et quidem non [illegible]. Quia actionis bonitas non est tota ex intentione finis, sed etiam ab interno habitu. Scalig. (t)

(t) Exerci. 307. sect. 27.

284. *Et quidem tempore necessitatis.* Quorsum enim regi nutus, salutationes, & nescio quæ sæpe gesticulationes, & divinæ promissiones, si vbi opus, neque te neque consilio iuves? sed tibi cum milite glorioso caveas post principia.

285. Id quod fit sæpe. θρασεῖς enim multi καὶ δειλοὶ μὲν τῶν κινδύνων, id quod audaculorum proprium Arist. (n) Sed si res exigat pauci adsunt. Ἐν αὐτοῖς δ' ἀφίσανται. At isti θρασύδηλοι καὶ γλωσσάλγιδες, qui [illegible]as Phœbus in lingua, Maxois in pedibus fugacibus ne [illegible] initiuillitio Platonico, aut casta nuce redimendi. Veri qu[illegible] sunt & [illegible], vt fortes πρότεροι ἡσύχιοι, ἐν τοῖς δ' ἔργοις ὀξεῖς. Non promittunt, sed præstant, non iurant, sed iuvant.

286. II. *Ingenuam libertatem.* Quid n. boni consulet ille, cui bos in lingua, aut qui angina, vel potius argentangina, vt Demosthenes, laborat? Non oportet, inquit Arist. (x) in iram, aut in invidiam, aut misericordiam impellendo a recto iudicem flectere, ne similes ei simus, qui eam, qua vsurus sit, regulam, prius inflectit. Non oportet idem Consiliarium, sed omissa omni προσωποληψίᾳ, veritatem sequatur.

287. Thebis conspiciuntur Iudicum imagines ἄχειρες, at summi iudicis imago τυφλὰ τοῖς ὄμμασιν, eo quod iustitia nec muneribus capi, nec hominum vultu flecti debeat; referente Stobæo. (y). Et hic Consiliarius manus nullas habeat, oculos omnes clausos, nec potius κάτω [illegible] [illegible] καὶ χάριν Principis dicat, quam κατὰ δικαιοσύνην καὶ ἀλήθειαν.

288. Optime Fridericus Imp. optabat, vt Consiliarij de rebus propositis consultaturi in vestibulo curiæ deponerent simulationem & dissimulationem. Sic enim ipsi recte consulerent; & Principibus inter consilia dijudicare non esset difficile: Aen. Sylvius. (z) Et idem Imp. interrogatus quinam sibi essent charissimi? Qui, inquit, me non magis quam Deum ipsum timent. Idem. (a) Et hoc respectu, libris tanquam mutis Consiliarijs se maxime delectari dicebat Alphonsus. Panormitan. (b)

289. Polydamam ergo Homericum imitentur, qui ad Hectorem:

(n) 3. Eth Nic. c. 7.

(x) 1. Rhe. c. 1.

(y) Serm. 44. ex Plutarch. de Isid.

(z) lib. 3. Com. in res gest. Alphonsi.

(a) lib. 4. d Comm.

(b) lib. 3. de reb gest Alph.

Quamvis acre audis Hectorem recta monentem,
Non populi tamen est cum damno gloria regum
Amplificanda, salus potior sit publica cuiq;
Seu tunc consilium cum poscit gloria nostrum,
Seu cum stant instructæ acies, pugnæq; cientur,
Nunc quoq; dicenda est melior sententia nobis.

290. Sed sequantur veritatem, non severitatem. Veros amare possunt Principes & sinceros, non severos. Duci volunt, non cogi, aut trahi, persuaderi potius quam coerceri. Arte & flexu quodam opus sæpe & obliqua via ad eundum, quo non licet recta. Sicut ergo in cœlo secunda mobilia, primo isti mobili non directè adversantur, [illegible] obliquo ductu: Sic & in terra summo duci non [illegible] clamose in negotijs isti Planetæ contraeant, sed moderato consilio vtantur. Si enim morose & odiose se opposuerint, facilimè vt rana à leone conterentur & vt olla, terrea ab ænea distringentur.

Flectitur obsequio curvatus ab arbore ramus,
Frangis si vires experiere tuas.
Obsequio tranantur aquæ, nec vincere possis
Flumina, si contra quam rapit vnda nates. (c)

(c) Ovid. 2. de arte.

291. *III. Silentium.* Nam quod ait ille apud Plautum (d)

Bene consultum inconsultum est sæpissime,
Quippe si resciverint inimici consilium tuum, tibi
Tuopte consilio occludunt linguam & constringunt manus
Atq; eadem quæ illis voluisti facere, faciunt tibi.

(d) In milit. Glorios. act. 3.

292. Non sint ergo ἀθυρόγλωττοι, & Tantali, qui [illegible] dolium Danaidum hac & illac perfluant, sed cogitent ἀκίνδυνον σιγῆς εἶναι γέρας. Et quod præclarè Ovid[illegible] opere non præclaro. (e)

(e) 2. de art.

Eximia est Virtus præstare silentia rebus,
At contra gravis est culpa, tacenda loqui.

293. IV. *In reliqua verò tota vita observantiam.* Sunt enim hi planetæ, Princeps verò Sol illud luminare [illegible] At planetæ sole accedente loco cedunt, [illegible]

cio[illegible]

ciose sequuntur, tandem in occursum regis sui festinant & adventantem statione quasi quadam dierū aliquot excipiunt, postea præeunt, & sic rursum redeunti locum concedunt.

294. Et quidem erga absentem & præsentem sint ijdem. Non coram sint, angeli sint, si absens lupi *ἅρπα*[illegible] [illegible] eundem proscindant, aut etiam ipsi insidias struant, vt tempora etiam nostra exemplis suis non carent. Periculosissimum enim [illegible], & Milo ab arbore quam diducere & diffringere volebat manibus constrictis detinebatur, eò usque donec à feris dilaniaretur, Gellius. (f)

(f) lib. 15. Noct. Att. c. 16.

ἔχει θεός ἔκδικον ὄμμα

Cernit Deus omnia vindex,

Nec cernit tantum, sed & impia vindicat osor.

Hic verum: *Durum est tibi contra stimulum calcitare.* Et cave tibi. Nam incipiet:

Noli me tangere.

295. *Administri v.* sunt obsequiosi. Sic enim Principis animum sibi devincient, & honores & opes acquirent. Brevissimè. Sint lunæ instar & gloriæ suæ imò virium omne lumen refundant isti Soli magno, sic futurum, vt nunquam faciem suam avertat.

296. *Subditi v. cæteri*, qui extra aulam degunt, summum principem omni complectantur benevolentia, pro hoc [illegible], pro hoc sanguinem, si necessitas requirat, parati effundere, & *Petere pulchram per vulnera mortem*

297. Et obedientiam ipsi non denegent. Perversissima n. illa Resp. vbi sicut in Cyclopica, *οὐδὲς οὐδενὸς οὐδὲν* [illegible], qui obedire debebant, dictaturam sibi arripiunt, & alias *ἀναστάσεις* moliuntur Clodianas. A Deo est Princeps & imperium.

Quondam quod sanxit, id admirat idem.

Sub hoc ipse tutus poterit delitescere, & illi rebelles nunquam pœnam iustissimam effugient.

298. Brevissimè vos subditi qui estis [illegible]

 Ferte

Ferte Deo, quodcunq; Deus sibi postulat, inde
Cæsaris aula ferat, quod Cæsaris aula requirit.

Sed de horum officio & nos alias fusius. Vide interim Francisc. Patritium.(g) Hactenus conversatio inæqualium.

(g) lib 9. de Regno & Regum institut.

Æqualium.

299. Conversatio æqualium cum æqualibus est *virorum cum fœminis, Incolarum cum hospitibus*, & e diverso *Fœminarum cum viris, Hospitum cum incolis.*

VII. Virorum cnm Fœminis.

300. Hanc virorum cum fœminis conversationem si nonnullos consulueris Philosophastros & Aristarchos, improbabunt omninò. Alijs fœmina est tygris, alijs naufragium, alijs aliud. Sed quo loco habenda sint illa, & saniores Philosophi, & ipsa S. literarum monumenta nos poterant edocere rectius.

301. Et quin quovis seculo honestas viderit Sol & etiamnum videat matronas & fœminas, nullum est dubium. Et castæ matres etiamnum sæpe castas progignunt & educant filias. Si non: Cur non κακοῦ κόρακος κακὸν ὠόν? Et tam bellæ matres tam bellos nobis produxerunt Catones?

302. Ergò

Parcite paucarum diffundere crimen in omnes(h)

(h) Ovid. lib. 3. de art.

Et quod ipso sensu affirmatis, verbis nolite negare. Qui n. foras sunt sæpe nescio qui Catones rigidi & Stoici, postmodum quas in foro plectunt, in thoro amplectuntur & exosculantur. Sic nempe

Cum ventum ad verum est, sensus moresq; repugnant.(i)

(i) Horat. lib. 1 serm sat. 3.

303. Quod si ergo accidat (accidit; sæpius autem, imprimis in convivijs & alijs ὁμιλίαις.) vt cum fœminis conversandum, studeant viri imprimis Gravitati sua persona dignæ, tum & Humanitati.

304. *Gravitati quidem*: Nec n. parum refert considerare, quo loco consideras, quibus cum verba conferas.

Inter-

Intererit multum Davus ne loquatur an heros,
Maturúsne senex, an adhuc florente iuventa
Fervidus, an matrona potens, an sedula nutrix (k)

305. Hanc ipsam vero observent tum *in Verbis* tum *in Factis.*

306. *In verbis* quidem non obscœnas quaslibet canticulas decantent, sed pateant auribus quibuslibet. Si n. castæ illæ, sauciabuntur graviter, & discessum tuum potius quam accessum desiderabunt. Sin incastæ, inflammabuntur magis & magis, & ceu Chærea Terentianus ex inspectis Iovis factis, sic hæ ex auditis, nescio quas conclusiunculas & deliria Melancholica sibi conficient & elicient.

307. Quorsum & illud pertinet, ne ambiguè dicta & ἐπαμφοτερίζοντα in deteriorem sensum detorqueantur, sed semper in optimo & sanè accipiantur, & sicut in ludo sphæræ alterius est commodè mittere, alterius scitè accipere: sic & hic convenit, si quid fortasse minus feliciter vel saltem ambiguè iactum, rectè accipere & interpretari, si quid erratum, arte corrigere.

Sit bonus interpres, nunquam mala verba nocebunt,
Sit malus interpres, nunquam bona verba iuvabunt.

308. Quod nisi fiat, illa quæ debebant esse convivij condimenta, fient detrimenta; & quæ antea propter iucunditatem eligebantur, contemnentur, & qui

Ante bibebatur, nunc quas contingere nolis
Fundit Anigrus aquas.

309. In promptu causa. Quia *illic lavêre bimembres.*
Vulnera clavigeri quæ fecerat Herculis arcus (l)

310. quæ antea levabant curas domesticas & sublevabant, illa jam sua venenata spurcitie infecerunt Harpyiæ infernales, vt iam tutius fermè sit domi delitescere, quam in χάρυβδιν istos incidere. Et verissimum (m).

Quò diuturna magis, mihi carior omnis erit mus,
Exulat à vulgo cum probitate fides.

(k) Horat. lib. de art. Poet.

(l) Ovid. lib. 15. Metam.

(m) Stigelius lib. 3. Eleg. Eleg. 11.

310. *In factu v.* Nihil & hic committant, quod contra Verecundiæ & Honeſtatis aras. Quod ſi vltra proceſſerint, Nemeſin Deam vix effugient. Sigilla enim victoriæ habet. Quia ſemper vincere ſolet. (n) Breviſsimè,

Fataliter angor

Omne nefas ſequitur.

311. Bonæ ſi quæ fuerint, non tibi malo aſſentientur. Si quæ malæ, non tibi, ſi tu bonus, imponent. Poteris enim imitar Vlyſsis iſtas Sirenas obturatis auribus prætεrnavigare, modo advigiles, & te non à cuiusvis Thaidis falſa lacrimula

Quam oculos terendo miſerè vix vi expreſſerit (o)

commoveri patiaris & in gyrum abripi.

312. *Humanitati v.* Ita nimirum ſtudeant gravitati, ne interim humanitatem amittant omnem, & ad ἀγροικίαν delabantur: Nam

In vitium ducit culpæ fuga, ſi caret arte. (p)

313. Licet & viris bonis iocari, licet colludere εὐτραπελεῖν & ſermonibus iucundis diem quandoque fallere, modo ſint ἐμμελῶς παίζοντες καὶ εὐτράπελοι. Medium modo obſervetur, neque hinc neque illinc exorbitetur.

Non ego ſcurram

Cum vero te fieri, vappam iubeo ac nebulonem.

Eſt inter Tanaim quiddam, Socerumq; Viſelli.

Vt hoc de ſuis largiatur Poeta. (q). Nam τῷ γελοίῳ ὑπερβάλλοντες βωμολόχοι erunt καὶ φορτικοί, καὶ γλιχόμενοι πάντως τοῦ γελοίου, καὶ μᾶλλον στοχαζόμενοι τοῦ γέλωτα ποιῆσαι, ἢ τοῦ λέγειν εὐσχήμονα, καὶ μὴ λυπεῖν τὸν σκωπτόμενον. οἱ δὲ μήτ' αὐτοὶ ἂν εἰπόντες μηδὲν γελοῖον, τοῖς δὲ λέγουσι δυσχεραίνοντες ἄγροικοι καὶ σκληροὶ δοκοῦσιν εἶναι. Ar(r)

(n) Nat Comes lib 9. Mythol. c 19.

(o) Terent. in Eun. act. 1. ſcen. 1.

(p) Horat. lib. de arte

(q) Horat. lib. 1 ſer. ſat. 1.

(r) 4. Eth Nic. 8. 8. lib. 1 M. Mag. c. 3 1 3. Rhe. c. 28.

IIX. Incolarum cum hoſpitibus.

314. Non ſemper noſtra ferunt negotia, vt fornaci noſtræ vel ſaltem menſæ aſsidere poſsimus, & in amico-

rum

rum vel propinquorum amplexu, in patriæ nostræ felicitate delitescere, sed sæpe & ad exteras nationes & extremos Indos excurrendum, ubi cum Vlysse aut Aenea terra marique iactamur sæpe & divexamur.

315. Quæ peregrinatio etsi nonnihil periculosa; interim tamen maximè vtilis, imprimis Studioso. Humiles istæ & plebeiæ animæ domi resident, & adfixæ sunt suæ terræ: Illa divinior est, quæ cælum imitatur, & gaudet motu, vt loquamur cum I. Lipsio (s)

(s) Cent. 1. Epist. Epist. 22.

316. Hic pecunias & χειμήλια præstantissima nobiscum ferre possumus & asportare, sed hospitium nullum. Hospites ergò in hac peregrinatione vt quæramus necessum, nisi fortasse in Diogenis dolio latitare velimus, & sub dio decumbere, quod an tutum, viderint illi, qui defendunt.

317. Hi ergo hospites & incolæ, vt suis cum advenis & hospitibus peregrinis dignè conversentur, etiam atque etiam annitantur, id quod fecerint, si ipsis omnia præstiterint Humanitatis officia.

318. Illa v. tum *in excipiendo*, tum *in præmonendo* vel inprimis consistunt.

319. *In excipiendo*: Hic pro facultate sua cibum & potum subministrent necessarium, & si quorum aliàs indigent, suppeditent, non vafris artibus & nescio quibus lenocinijs pecunia illos emungendo, sed δικαίως καὶ σωφρόνως & bona fide cum illis agendo.

320. *Idq; libenter*. Nam quæ gratia sera venit, haud vera venit, & decus amittit omne, nisi opportuna. In Chio facies est Dianæ in sublimi posita, cuius vultus intrantibus est tristis, exeuntibus exhilarata videtur: Non aliter hi nostri Euclones ἀπειρόκαλοι, qui si hospitum

Ore aliud dicunt, aliud sub pectore condunt.

Quo quidem hoc tempore vel nihil frequentius, vbi mel in ore ostenditur, fel in corde absconditur. Sic enim plerumque.

Decipiunt oculi, nec fronti credere tutum est.

322. Et quidem *Constanter*. Nihil enim inhumanius quam eundem quem vix exceperis, mox è laribus expellere, & præcipitem deturbare. De quo & ille conqueritur apud Plautum. (t)

(t) In milite Glorioso act. 3.

Nam hospes nullus tam in amici hospitium diverti potest,
Quin vbi triduum continuum fueris, iam odiosus fiet.

323. Quanquam hoc minimum est, si Lycaonis facta horrenda, & Scytonis aut Procustæ facinora tecum consideres. Hominem homini insidiari nefas est, vt inquit Imp. sed vel maximè hospitem hospiti, adeò quidem, vt non inter minima etiam peccata seculi ferrei à Poeta (u) connumeretur, vbi conqueritur.

(u) Ovid. 1. Metam.

Nec hospes ab hospite tutus.

Sed & illi ipsi pœnam suam non effugerunt, vt abunde docent Historici, & multis fabulis innuunt Poetæ.

324. *In præmonendo.* Varia sunt vbique Circes stabula, varia Cyclopum latibula, vbi hominibus, imprimis peregrinis incautioribus insidiæ struuntur. Hic hospitum est & incolarum imminentia pericula indicare, bonis consilijs munire & obfirmare, vt nullo facto naufragio salvis remis, integris velis suos ad penates rursum deferri possint.

IX. Fœminarum cum viris.

325. Fœminæ & ipsæ si dignè à viris accipi cupiunt, & loco, quo debent, haberi, necessum est, vt & in illa conversatione moribus vtantur sibi congruis, & mire dent operam vt viris, honeste tamen, complaceant.

326. Complacebunt a. si *Mores habeant sedatos & verè virgineos*, non ac si nuper ex prælio elapsæ nescio quot Cacodæmonum plaustra evomant, rixas vbique moveant, & omnia

omnia clamando repleant. Amabile quod non est, nemo amat, aut magnifacit. οὐ πᾶν φιλεῖσθαι δοκεῖ, ἀλλὰ τὸ φιλητὸν Arist. (x)

327. II. *Sint affabiles.* Nec enim continuò in castra Impudicitiæ vt eatur necessum est, si fœmina cum viro colloquatur: Sed natura ipsa videtur idcirco Suadam fœminis attribuisse, vt cum viris, (vt qui serijs negotijs semper distringi non possint: quia δοκεῖ ἡ ἀνάπαυσις καὶ ἡ παιδιὰ ἐν τῷ βίῳ εἶναι ἀναγκαῖον. Arist. (y)) iucunde conversentur, abblandiantur, sicque huius vitæ molestias aliquo modo levent.

(x) 8. Eth. Nico. c. 2.

(y) 4. Eth. Nic. c. 8.

328. *Non ergò sint superbæ.* Errant enim longè, quæ, si præ nimia feritate & ἀγροικίᾳ dentibus labia mordeant, & quasi in ordinem sint composita ne perturbentur forte, verbulum nullum proloquantur, nec ad interrogata etiam respondeant, honestiores se haberi credunt. Quasi vero vrbanitas vel potius affabilitas cum honestate pugnent, & non potius amicè coniurent & ἀδαμαντίνως conspirent.

329. Quamquam & hîc nullum dubium, quin quæ hîc mutæ & lapides, alibi, vbi plerumque non decet, sint plus æquo verbosiores, &

Quo minus est murmur, plerumq; est altior vnda

330. Non tamen interim quamvis garrulitatem introducimus. Possunt partem suam loqui, possunt & tacere. Nec enim dum Scyllam vitandam esse monemus statim in Charybdin esse insiliendum suademus, sed est medium quoddam, quod arripiendum.

Est modus in rebus. sunt certi deniq; fines
Quos vltra citraq; nequit consistere rectum (z)

(z) Horat. lib. 1. serm

332. Sint ergo MODESTI. Nihil enim intolerabilius, quam si ignotus quispiam accurrens, qui vix hospitem salutavit, statim hoc & illud in domo corrigere conetur & emendare. Suus cuique mos, sua cuique voluptas, sibi vivit, sibi illa constrUxit, non tibi. Πολυπραγμοσύνη hæc est manifesta, quæ vt rebus sese immiscet alienis, sic & plerumque dignam gratiam ποινὴν ἢ πληγὴν sibi demeretur.

333. II. *Sint boni Stomachi*, adeoque quæ apponuntur boni & æqui consulant. Primo initu poculum cerevisiæ olentis aut tenuis, ferculum è larido spisso, pingui, crudo, panis ater aliquantulû & acidus si apponatur, non statim muliebriter lamententur, sed sciant naturam paucis esse contentam. Imò cogitent.

Dabit Deus his quoq; finem

334. Qui regiè vult vivere & splendidè, domi suæ vivat, & suo in Palatio assideat, servi v. accurrant, soccos detrahant, videat alios festinare, lectos sternere, cœnam apparare.

335. Non sunt vbique regia palatia extructa, quibus hunc Ganymedem & Narcissum possunt excipere. Ipsi domini sunt, & tamen vivunt ijs contenti, quid tu cupis vltra & petis ab hisce, qui es advena?

336. Et quidem quid incusat? Statumnè illum an homines? Si statum regionis aut vrbis, ipsum Deum accusat, qui vni non dat omnia. Imò totam regionem vix vs ad palatum non disposuit.

Non omnis fert omnia tellus

Hic segetes, illic veniunt felicius uvæ.

Sin homines: Et hoc iniquissimum. Nam dant illi quod hoc quidem tempore habent, vbi non tam τὸ πλῆθος τῶν διδομένων, quam ἡ ἕξις τοῦ διδόντος inspicienda Arist. (a)

(a) 4. Eth. Nico. c. 1.

Si desint vires, tamen est laudanda voluntas

337. III. SINT GRATI, & quidem cum fœnore gratias persolvant. Quia & Gratiarum duæ nos respiciunt,

cum vna avertat faciem, Ideò quia omnis gratia debet cum fœnore redire. (b) Et hac de causa χαρίτων ἱερὸν ἐμποδὼν ποιοῦνται ἵνα ἀνταπόδοσις ᾖ. Arist. (c)

338. IV. *Et vel maximè sua in peregrinatione sint cauti.* Quod si in simulatores incidant, minutæ & innocentes simulatiunculæ adhiberi commodè poterunt. I. Lips. (d) Si in perfidos, omnis prudentiæ imò fortitudinis copia producenda, vt periculum evitetur. Interim hoc salubre præceptum auribus capiendum, mente seponendum: Frons sit aperta, lingua parca, mens clausa. Comis & communis vultus adversus omnes sit, animus externo nulli pateat, & velut in theca clausus consilescat.

Fide sed antè vide cui tutò fidere possis. ET
Præcipuè caveas vlli nimis esse sodalis.
Hîc latet in viridi frigidus anguis humo.(e)

339. Et hæc de conversatione civili tum privata tum publica, satis fortasse breviter & leviter, si materiæ amplitudinem, satis prolixè, si thesium angustiam respicias.

340. Brevitas illa quondam σὺν Θεῷ, vbi campo liberiore excurrendi, & oratorio nonnihil apparatu copias instruendi dabitur facultas, compensabitur: interim hæc qualiscunque σκιαγραφία tanquam μικρὸν χρέας in vili salino vobis Laribus magnis & Genijs apponatur, & si placet, degustetur.

341. Prolixitas si quem offendit, sumat is fercula, & condimenta, quæ hinc & inde asperla & inspersa, prætereat, sic theses habebit satis breves & in arctum constrictas. Sed quis ad vnius palatum se accommodabit in omnibus? Socratem in nostro hoc epulo apponendo imitabimur, & nobis omninò persuadebimus, hospites si

(b) Nat. Comes lib. 4. Mythol. c. 15.
(c) 5. Eth. Nico. c. 5.
(d) Cent. 1. Epist. Epist. 22.
(e) Stigelius lib. 2. Elegiar. Eleg. 12.

Pro Coronide quæramus.

I.

Vtrum hodiernus Imperij Germanorum ſtatus Ariſtocraticus ſit an Monarchicus?

Poſterius affirm. Diſſent. Bodinus lib. 2. de Rep. cap. 6.

II.

Præſtetné Principatum ſucceſsione potius quàm electione transferri?

Eberartus à VVeyhe in explicat. huius quæſtionis.

III.

An verum ſit Marchiavelli theorema c. 15. de Principe: Principem ſi exactè vir bonus eſſe velit, diu inter homines agere non poſſe in tanta improborum colluvie?

Vide Antimac. lib. 3. theor. 27.

IV.

Vtrum melius ſit, optimo viro an optimæ legi ſubeſſe?

Ariſtoteles lib. 3. Polit. c. 10. & X. Eth. Nic. cap. vlt. Bodin. lib. 6. de rep. cap. vlt.

V.

Cur in fide danda dextra porrigi ſoleat?

Cæl. Rhodig. 42. lect. antiq. cap. 3.

VI.

Qualem ſe vir bonus in bello civili gerere debeat, quieſcendumnè ei ſit an in partes abeundum?

Bodin 4. de Rep. c. 7. Lipſ. 6. civil. doctrinæ c. 6.

VII.

Vtrum inſtitutio adoleſcentum debeat eſſe publica?

Ariſt. lib. X. Eth. Nicom cap. vlt. & lib. 8. polit. cap. 1. Caſus &c.

AD

MATTHIAM BILIZERVM publicè disputantem

Επιχάμματα.

QVàm bona res homini sit consuetudinis vsus
Civilis, vitæ commoda, grata DEO:
Qualis & esse eadem cum natis, coniuge, servis
Debeat, & patribus, principibusque viris.
Hæc, BILICERE, tui ingenij pro viribus acer
Quæ modò defendis, lemmata docta docent.
Macte tuo ingenio & genio: tibi nempe virentem
Laureolam Themis & dius Apollo parant.

Elias Reusnerus Medicinæ Licentiat. & Histor. ac Poes. in illustri Salana P.P.

INgenium si quis non excolat, interit illud,
Amittit & dignum decus.
Excolit ingenium magis vsus, & ipsa profundo
Quæ delitescunt gurgite
Vera refert, veluti ceu rustica Thestilis ictu
Ignes latentes elicit.
Excolis ingenium, mi BILIZERE, palæstram
Dum disputandi iam subis
Et satis egregiè & magna cum laude, paterna
Recolligens vestigia.
Perge tuum ingenio sic æquiparare Parentem,
Qui pergit, ille perforat.

MATTHIAS BILICERVS

Αναγραμματισθείς

MVSIS AC LIBERTATI.

LEVCORIS alma tuum quondam, BILICERE, Parentem
Per Themidis sanctas crescere vidit opes.
Patria nunc illum, quam LIBERTATIS in arcem
Consilio asseruit vindice, terra colit.
Te quoque iam PATRI similem, SALANA tueri
Philosophûm cathedras non sine laude videt.
Nec minus immensi sinuosa volumina Iuris
Voluere pervigili sedulitate probat.
Vsque adeò in Patrios summa vi crescis honores,
Et nescis genij deneger esse tui.
Quis natum MVSIS ac LIBERTATIS honori,
Quis PATRIS & PATRIAE laudibus esse neget?

Iohannes Corningus, Leobschuc.
Sil. LL. Stud.

SIcne DICES aperis rursum tentoria? rursum
Mi BILIZERE, novum litigium ore subis?
Num tibi congrater? te Pieris alma Themisq;
Purpurea mactent Daphnide: ter mihi ave!
Tu benè civilis lustras vestigia vitæ,
Te conversentur DI, Indigetes, Homines.
Macte! SAGITTARIO præeunte, capesse sagittas;
Pulcher ab arguta Sphinge triumphus erit.

Valentinus Cunradus Ihering.
Misn. LL. Stud.

FINIS.